De
Sanctissima Dei Matre
sive
Mariologia.

Summa

praelectionum, quas in C. R. Universitate Oenipontana

habuit

Josephus Müller S. J.

OENIPONTE.

TYPIS ET SUMPTIBUS FELICIANI RAUCH.

1918.

Prooemium.

1. Mariologiae momentum. — Postquam de Christo Deo-homine et Salvatore nostro sufficienter tractatum est, 1
jam de sanctissima Dei Redemptoris matre quoque agatur oportet, utpote quae tam arctissimo cum Christo nexu conjuncta est, ut ab ipso illam vel in tractatione theologica separare nefas esset.

1. Primo enim tamquam mater Christi arctissimam cum ipso habet cognationem et conjunctionem, quod considerans *Hesychius Hierosolymitanus* Christum sic alloquitur: „Si enim tu es gemma, merito illa est arca; et quia sol existis, necessario Virgo vocabitur coelum; cum sis flos immarcescibilis, profecto Virgo erit planta incorruptionis et paradisus immortalitatis“ (Serm. 5.). — Unde *secundo* quia Christum Redemptorem genuit eique in vita et passione se intime sociavit, ad nostram salutem procurandam cum ipso cooperata est; quare vera quadam ratione corredemptrix dici potest atque mater nostra spiritualis jure merito salutatur. Quocirca *S. Augustinus:* „Maria plane mater membrorum Christi, quod nos sumus, quia cooperata est caritate, ut fideles in ecclesia nascerentur, quae illius capitis membra sunt; corpore vero ipsius capitis mater.“ (De sacr. virgin. 6.). Et *S. Anselmus:* „Deus, qui omnia fecit, ipse se ex Maria fecit, et sic omnia, quae fecit, refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea sine Maria reficere. Deus igitur est Pater rerum creatarum et Maria mater rerum recreatarum; Deus est Pater constitutionis omnium, et Maria est mater restitutionis omnium. Deus enim genuit illum, per quem omnia sunt facta, et Maria peperit illum, per quem omnia sunt

salvata. Deus genuit illum, sine quo nihil penitus est, et Maria peperit illum, sine quo omnino nihil bene est. O vere Dominus tecum, cui dedit Dominus, ut omnis natura tantum tibi deberet secum." (Or. 52. al. 51.). Necnon *S. Bernardus:* „Per Mariam enim coelum repletum, infernus evacuatus est, instauratae ruinae coelestis Ierusalem, exspectantibus miseris vita perdita data." (Hom. 4. in assumpt. B. M. V. n. 8.). — Hinc vero *tertio* omnis laus Beatissimae Virgini-Matri tributa, omnis cultus ei exhibitus in laudem et gloriam Filii ipsius Dei Salvatoris manifeste redundat; quare merito *S. Bernardus:* „Non est dubium, quidquid in laudibus matris profertur ad Filium pertinere." (Hom. 4. super *Missus est.*). Et *Goffridus*, abbas Vindocinensis sic exhortatur: „Nihil in hujus Virginis laudibus haesitemus; honorat siquidem Filium, qui laudat matrem, sine cuius laude Deo placere impossibile est et cum laude ejus displicere nemo potest. Hanc igitur sanctissimam et admirabilem virginem laudemus, quia virginis Filio placere sine matris virginis laude non possumus" (Migne 157, 269.). Revera venerationem Beatae Virginis et Christi Dei Salvatoris cultum intime connexos esse et pari quasi gressu incedere, ipsa historia theologiae vel religionis christianae testatur, utpote qua teste cultores Beatae Virginis etiam Christo Deo Redemptori fidelissime adhaeserunt, osores vero et impugnatores hujus cultus etiam ab ipso Christo paulatim ita defecerunt, ut etiam, quemadmodum Protestantes plerique, Christi divinitatem necnon redemptionem negarent. Quare cultus B. Virginis munimentum exstat ipsius fidei in Christum Deum-Redemptorem et cum haec fides centrum sit atque fundamentum totius doctrinae christianae, merito ecclesia ad B. Virginem orat: „Omnes haereses sola interemisti in universo mundo."

2. 2. *Quae cum ita sint, manifesto patet, per theologicam de Beata Virgine tractationem etiam ipsius Christi Redemptoris cognitionem maxime juvari et promoveri,* sicut per tractationem de Verbo Incarnato in cognitionem ipsius divinitatis perfectiorem et pleniorem perducimur. Patet igitur

etiam, quantopere eadem tractatio ad theologiam spectet et digna sit theologo necnon simul, quam sublime pariter et dulce sit ejusdem argumentum. Etenim merito quaerit *S. Ambrosius:* „Quid nobilius Dei matre, quid splendidius ea, quam splendor elegit?“ (De virgin. 2, 2). Et alter *Epiphanius* (saec. 9.) declarat: „Solo Deo excepto cunctis (Maria) superior exstitit, natura formosior est ipsis Cherubim et Seraphim et omn exercitu angelico.“ (Oratio de laudib. Mariae Deiparae). Quare recte in hanc theologiae partem animadvertit *Suarez:* „Recte ad scientiam de Filio consequendam per matris cognitionem paratur via; neque enim poterant, qui et sanguine et dilectione adeo conjuncti sunt, disputatione sejungi, nec par erat in tam longo de Christo sermone de Virgine tacere ... Neque existimandum est, praesentis disputationis materiam ..., quae ad B. Virginem spectat, esse ab instituto scholastico alienam, vel quia doctores scholastici brevissime illam attingunt, vel quia certis theologiae principiis fundari non potest, sed solum probabilibus rationibus aut piis conjecturis. Ego enim post ipsius Dei et Christi cognitionem nullam aut utiliorem aut viro theologo digniorem esse existimo. Neque intelligo, cur de gratia angelorum deque illorum meritis ac statu viae ac denique de eorum gloria ceterisque scientiae et gratiae donis et ministeriis seu officiis tam accurate theologi disputant, de angelorum vero regina ejusque dignitate, gratia, scientia, meritis ac singulari felicitate longe majori diligentia disserendum non sit. Cum haec doctrina et per se dignior et jucundior et ad pietatem magis sit accommodata et, ut Aristoteles dicit, melius sit de rebus altioribus vel pauca conjectare, quam inferiores certitudine etiam mathematica cognoscere, eo vel maxime quod major ac certior cognitio potest de gratia et gloria B. Virginis quam angelorum, ex principiis fidei ratiocinando colligi“ (In 3. p. q. 27. praefat.).

3. *Accedit, quod hac nostra aetate devotio in B. Virginem-* **3.**
Matrem in dies fere apud fideles catholici nominis accrescit ac progreditur, ita ut magis magisque illud ejus de seipsa vaticinium adimpleri cernatur: *ecce enim ex hoc beatam me*

dicent omnes generationes. Hinc enim etiam magis opportunum imo necessarium esse intelligitur, ut a theologia catholica fundamenta et rationes ejusdem cultus solide explicentur, demonstrentur, vindicentur, ut scilicet fidelibus et imprimis fidelium pastoribus tuta norma praesto sit, quam sequentes in cultu B. Virginis-Matris sectando et promovendo a recto tramite neve in sinistram neve in dextram aberrent.

4. ***2. Modus tractandi.*** — 1. In theologica quoque de B. Virgine-Matre tractatione a duplici scopulo sedulo cavendum est: Et *primo quidem cautum sit oportet, ne falsae et insanae devotioni indulgendo minus tutae, exaggeratae, phantasticae, arbitrariae opiniones inveniantur vel foveantur;* sed quidquid statuitur, secundum sapientiae theologicae leges in fundamento scripturarum et traditionis erigendum est, contra quam regulam ab aliquibus praesertim asceticis scriptoribus nonnihil peccatum est. Quod ipsum hac in re jam notavit *Petavius*: „Illud vero ad extremum monere omnes audebo cultores ac laudatores Virginis sanctae, ut ne pietati ac devotioni in illam suae nimium indulgeant, et ut veris contenti solidisque praeconiis ficta et commentitia repudient; quorum vel nullus possit vel non idoneus auctor afferri. Quod . . . multum abhorret a Theologiae, hoc est coelestis sapientiae gravitate, quam nihil sentire aut asseverare par est, nisi quod ad certam et exquisitam regulam sit exactum“ (De incarn. l. 14. c. 8. n. 9). Deinde adductis quibusdam ex regulis hac in re a Gersonio statutis, quarum aliquae tamen non sine restrictione vel distinctione valent, ita pergit: „Vere aurea sunt haec Gersonii praecepta, quibus immoderatam in praedicandis B. Virginis laudibus licentiam temperat, et intra modum sobriae ac robustae pietatis coercet. Ex iis autem apparet, frivolum et nugatorium esse genus hoc argumentationis, quo plerique solent uti, ut inusitatum B. Virgini quodlibet gratiae genus affingant. Sic enim disputant: Quidquid ad honestandam matrem suam Dei Filius conferre potuit, id illum reipsa praestare decuit; sive hoc modo: Quidquid decoris et ornamenti in Sanctos reliquos idem ille Dei Filius profudit, totum hoc in Mariam congessit: ex quo id quod

volunt concludendo nectunt: quod sane genus argumentandi tamquam captiosum et sophisticum Gersonius contemnit" (Ibid.). Et haec quidem recte et sapienter dicuntur, siquidem moderate ac sobrie accipiantur; addendum autem est, argumenta probabilia excludenda non esse, neque prohiberi possunt argumenta ex convenientia petita, quibus aliqua veritas jam aliunde probata confirmatur et illustratur, imo ex ejusmodi convenientia saepius probabile, et aliquando, siquidem oppositum Deum plane dedecere constet, vel certum alicujus veritatis argumentum depromi potest. Neque argumentatio quaevis, quae ex comparatione inter B. Virginem et alium Sanctum derivetur, omni prorsus vi vel probabilitate caruerit, nisi ex differentia finis vel missionis omnis paritas excludatur. Ejusmodi enim argumenta et a SS. Patribus et ecclesiae doctoribus frequenter adhibentur. Neque Petavii intentio fuit, ea excludere.

2. Itaque *secundo ex adversa parte aeque vel etiam ma-* 5.
gis alter vitandus est scopulus in eo positus, quod Mariologia, argumentum hoc nobilissimum, jejune nimis et frigide et mance tractetur ita scilicet, ut praecellentiae Virginis-Matris indebito modo vel minuantur vel obscurentur. Quod facile evenit, si quis traditione, theologorum auctoritate, rationibus theologicis parvi pensis et neglectis doctrinam theologicam de B. Virgine ex eis solum derivare velit, quae disertis verbis de eadem in scriptura enuntiantur, atque in eorundem explicatione normam catholicam traditionis minus prae oculis habeat. Qualis procedendi modus parum catholicus est atque a vera et genuina methodo theologica ad Protestantium placita theologica nimis accedit atque deficit. Hunc autem scopulum recentiores quidam theologi non satis vitarunt (cf. Schell, Dogmatik 3. Bd. S. 84. ff.), qui falsa cum veris permiscentes v. g. earum quoque rationum theologicarum usum vituperant et rejiciunt, quas vel ipsi SS. Patres et Romani Pontifices adhibuerunt.

Jamvero uterque scopulus hic indicatus tuto vitabitur, si etiam in hoc tractatu regia illa via traditionis, quam SS. Patres atque doctores scholastici straverunt, continuo

prae oculis versetur atque monita et praecepta necnon hac in re exempla quoque Romanorum Pontificum praesertim recentiorum religiose observentur.

6. ***3. Fontes theologici.*** — Iidem sane, qui in aliis tractatibus theologicis etiam in hoc tractatu fontes theologici adhibentur: scilicet imprimis scriptura; deinde traditio, quae non solum SS. Patrum doctrinam, sed etiam statuta conciliorum, documenta liturgica necnon theologorum atque fidelium consensum complectitur; denique ipsa ratio fide illustrata. Verum circa hos fontes jam hoc loco quaedam praenotare juvat:

1. Et *primo quidem ex scriptura V. T.* plura ad Beatam Virginem spectant vel referri possunt vel sensu litterali vel sensu typico vel sensu accommodatitio; de qua re *Suarez* haec ab initio suae tractationis notat: „Principio ergo in Testamento veteri frequens est Beatae Virginis mentio prophetica vel aperta vel figurata; nam ut Bernardus ait in sermone *Signum magnum:* ‚longe ante Patribus est coelitus repromissa, mysticis praefigurata miraculis, oraculis annuntiata propheticis'. Quinimo addere possumus, sicut Paulus de Christo dicit, in capite libri de illo esse scriptum, ita de Beata Virgine in sacrae scripturae initio scriptum esse: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, ipsa conteret caput tuum.* His enim verbis Deum ipsum Mariam Virginem praedixisse, communis est antiquorum Patrum sententia... Totum praeterea canticorum librum non solum per accommodationem, sed etiam in sensu aliquo a Spiritu Sancto intento Virginem praecinere, omnes fere Patres, qui illum interpretantur, intelligunt. . . . Sunt praeterea in scriptura veteri Virginis proprietates et perfectiones in variis personis et rebus praefiguratae, quas hoc loco congerere non oportet, tum quia vulgares fere sunt et in sanctis Patribus facile reperiuntur, tum etiam quia in singulis quaestionibus, ubi oportuerit, praecipuas earum commodius attingemus. Nonnulla etiam ex libris Psalmorum et Sapientialibus ecclesia ad Virginem accommodat, ex quibus interdum non leve argumentum sumi potest" (L. c.). Reipsa autem plures quosdam scripturae locos vel partes sensu accommo-

datitio etiam in theologica tractatione merito de Beata Virgine adhiberi, exemplo Patrum et Doctorum necnon ipsius Ecclesiae patet. Et *primo* quidem testimonia scripturae sensu accommodato sumpta adhiberi possunt ad illustrandam veritatem jam aliunde demonstratam; *secundo* autem aliquando etiam certum argumentum praebere possunt, considerata scilicet non in seipsis, sed prout ab ecclesia ad Beatam Virginem accommodantur. Ejusmodi enim accommodatione patet, quid ipsa ecclesia de eadem sentiat atque nos edocere velit: quare argumenta ex testimoniis accommodatis immediate saltem ex auctoritate ecclesiae non vero scripturae certam efficaciam habent. Quod autem multa scripturae testimonia, quae immediate et directe v. g. de ipsa Sapientia genita agunt, ad B. Virginem accommodari possint et ab ecclesia reipsa accommodentur, in connexione rationem habet arcta, qua B. Virgo cum Sapientia incarnata conjungitur, quippe cujus mater est atque imago creata perfectissima. De qua plurium ex libris sapientialibus testimoniorum ad B. Virginem accommodatione enucleatius egerunt inter alios *Passaglia* in opere *de immaculato conceptu* (pluribus locis), *Broise* in Études (Mai 1899.) necnon *Scheeben* (Dogmatik § 274). Ceterum hic theologus illa librorum sapientialium testimonia non tantum sensu accommodato, sed sensu mediato quidem attamen ab ipso Spiritu Sancto intento de B. Virgine intelligi posse et deberi contendit, verum non satis clare demonstrare videtur.

2. *De scriptura deinde N. T.* iterum merito animadvertit 7.
Suarez: „In novo testamento pauca quidem verba de Virgine scripta sunt, quoniam tota Evangelistarum et Apostolorum intentio ad Christum referebatur, quia illo cognito ejusque fide satis fundata non poterat matris ejus excellentia aut ignorari aut occultari, in illis vero paucis verbis eisque gravissimis, quaedam praecipua capita indicata sunt, quae omnia, quae de Virgine dici possunt, virtute continent. Quod in ceteris fere rebus, etiam in gestis a Christo, quae ab Evangelistis narrantur, observare licet . . . Cum enim non possent Evangelistae singula persequi, ea, quae maxime necessaria erant, attigerunt, ut ex eis reliqua intelligeremus“ (Ibid.).

3. Quod *SS. Patrum et aliorum veterum scriptorum attinet testimonia,* notandum est, in Mariologia etiam magis quam in aliis tractatibus theologicis a variis auctoribus praesertim saeculorum praeteritorum non pauca afferri ejusmodi testimonia vel fictitia vel spuria vel iis Patribus sive doctoribus adscribi, quorum non sunt. Iamvero ad honorem theologiae spectat, ut, quantum fieri potest, ejusmodi negligentiae et errores vitentur; neque enim falsae laudes vel in falsis fundamentis fundatae in honorem B. Virginis vergunt neque eidem acceptae sunt. Ex antiquitate autem non solorum SS. Patrum, sed etiam aliorum scriptorum testimonia pensanda sunt, quia, etsi SS. Patrum auctoritate careant, nihilominus ex eorum quoque scriptis de traditione vel fide sua aetate vigente constare potest. Immerito vero a recentioribus quibusdam pondus testimoniorum ex sermonibus antiquorum de B. V. desumptorum parvi penditur vel nimis deprimitur, acsi exaggerata vel hyperbolica pleraque sint; etenim etsi in ejusmodi sermonibus oratorius sane sit dicendi modus, nihilominus non ideo ipsa doctrina illico dicenda est exaggerata; neque ex sermonibus intelligi posse, quid eorum auctores necnon fideles secundum rei veritatem de B. V. senserint vel crediderint, ullo pacto negari potest.

8. 4. *De rationibus theologicis* etiam in hoc tractatu adhibendis jam supra breviter dictum est; hoc igitur loco ea addere sufficit, quae hac de re notat *Suarez:* „Non sine singulari Spiritus Sancti consilio factum est, ut nonnulla Virginis mysteria et privilegia nec scripta sint nec certa traditione recepta, ut occasio daretur fidelibus amplius meditandi et recogitandi haec mysteria, loquendique atque scribendi de Virgine, ex principiis traditis plura ratiocinando et colligendo. Quocirca rationibus etiam in hac materia utendum est, quae vel in dictis principiis vel in ipsa rerum natura et decentia fundatae multum ponderis et efficacitatis in theologia habent, ut . . . ex usu SS. Patrum satis constat . . .; ubicunque enim de mysteriis et perfectionibus Christi tractant, rationibus et conjecturis ex decentia rei sumptis utuntur“ (Ibid. n. 7).

*4. **Auctores insigniores.*** — Scriptorum theologicorum. qui de B. Virgine-Matre egerunt, infinitus fere est numerus; integram auctorum et operum Mariologicorum nomenclaturam exibuerunt *Maracci* in *Bibliotheca Mariana* 1648 et recentius *Roskovány* in *B. V. Maria in suo conceptu immaculato* 1873 ss.; atque brevem quidem, sed rerum peritia atque judicio aequo et prudenti fundatum principalium scriptorum theologicorum indicem exhibet *Scheeben* in *Handbuch der katholischen Dogmatik* § 274. Hoc loco insigniores tantum referre sufficit: 9.

1. Itaque *SS. Patres* in sermonibus praesertim in festis **10.**
sive B. V. sive Nativitatis et Epiphaniae habitis de Virgine-Matre egerunt: quorum potiores plures collegit et edidit *Hurter* in opusculis SS. Patrum selectis, t. 12. et t. 34., scilicet in t. 12. exstant: *S. Procli* ep. const. orationes duae in ss. Dei genitricem, *S. Cyrill. A.* encomium in S. Mariam, *S. Bernardi ab.* de laudibus Virginis Matris hom. 4.; ejusdem sermo de 12 praerogativis B. M. V.; ejusdem sermo de aquaeductu in nativitate B. M. V.: *S. Hieronymi* tractatus de perpetua virginitate B. M. adversus Helvidium. In tomo 34. vero inveniuntur: *S. J. Damasceni* sermones septem in B. V.; *Joannis Euboeensis* sermo VIII. in conceptionem S. Deiparae; *S. Germani C. P.* sermo IX. in ss. Deiparae praesentationem; *S. Sophronii* hieros. sermo X. in s. Deiparae annuntiationem. Addi possunt *Ephraem Syrus*, *Theodotus Ancyr.*, *Augustinus*, *Ambrosius*, qui sive in sermonibus variis sive in aliis scriptis incidenter etiam de B. V. tractant; necnon *Hesychius*, *Modestus* (uterque Hierosolymit.), *Andreas Cretensis*, *Theodorus Studita*, qui insignes de ipsa B. V. sermones reliquerunt. Doctrinae Patrum solidum et accuratum conspectum exhibet more suo *Petavius*. dogm. t. 5. Sed tota fere Patrum et scriptorum antiquorum doctrina copiose collecta est et disposita a *Passaglia* in magno opere: De *immaculato conceptu* tt. 3. Necnon *A. Ballerini* opere *Sylloge monumentorum* doctrinam mariologicam antiquitatis egregie illustravit. Pariter de eadem bene meriti sunt: *Lehner*, die Marienverehrung in den ersten Jahrhunderten: *Liell*, die Darstellungen der allers. Iungfrau

und Gottesmutter Maria auf den Kunstdenkmälern der Katakomben; *H. Livius,* die allerseligste Iungfrau bei den Vätern der ersten sechs Iahrhunderte.

11. 2. Ex *medio aevo* imprimis nominandi sunt *S. Petrus Damiani* et *S. Anselmus,* quorum prior saepius in sermonibus dogmatice et praeclare de B. V. tractat, alter in orationibus ad B V. directis plures doctrinas mariologicas pulchre et profunde exponit. Quae vero S. Anselmo quondam adscribebantur opuscula alterum *de excellentia* alterum *de conceptione B. V.* non ipsius, sed *Eadmeri* monachi esse probatum est. Accedit et inter multos excellit *S. Bernardus* de Mariologia praeclare meritus per sermones vere classicos utpote eloquentia simul et solida doctrina eminentes, quorum potiores edidit Hurter opusc. 12., ut modo supra dictum est. — Deinde succedunt theologi scholastici: *B. Albertus* M. in opere: *Mariale* sive quaestiones super *missus est* de B. V. profunde et copiose agit modo scholastico, sed multa a scientia theologica aliena admiscet. *S. Thomas* autem sicuti in aliis ita et in hoc argumento theologice tractando eminet: etsi autem speciale opus de B. V. non scripserit, omnia tamen principia et fundamenta systematis Mariologici solide posuit, scilicet quaestiones fundamentales et principales omnes pro more suo profunde acute et omnibus quaestiunculis a scientia theologica alienis remotis sobrie et clare scholastica methodo tractavit; agit autem *S. Thomas* de B. V. in 3. d. 3. et 4.: S. th. 3. p. q. 27. ss; in opusculo *de salutatione angelica* (cf. Hurter, opusc. 34.). Iuxta S. Thomam eminet *S. Bonaventura,* qui non solum profunditate, sed etiam suavitate quadam et unctione excellit; tractat de B. V. in 3. d. 3.; alterum opus *Speculum B. V.,* quod simul vel magis asceticum est, ipsius Bonaventurae esse non videtur.

12. 3. *Post Concilium Tridentinum* theologi sicuti alia ita etiam hoc argumentum scholastice simul et positive tractaverunt. Sub hoc altero maxime respectu eminet opus vere classicum *B. P. Canisii de Maria Deipara Virgine,* in quo tota doctrina catholica de B. V. contra novatores strenue et egregie defenditur. Ex theologis scholasticis de Mariologia

optime meritus est *Suarez*, qui principiis S. Thomae insistens doctrinam Mariologicam magis evolvit, ex fontibus positivis confirmavit et ditavit et in systema integrum redegit. Simili ratione excellunt *Rhodez* in *Theologia scholastica* (in 3. p. S. Th. t. 2. Tract. 8.) aliique S. Thomae commentatores. *Theologia Mariana* a *Christophoro Vega* conscripta utilitatem quidem non parvam praebet, quatenus valde integre de B. V. tractat atque in multis etiam bene procedit, sed in multis aliis a recta norma theologiae deflectit, utpote „quo in opere collectum revera reperies, quidquid unquam de B. V. assertum, disputatum, propugnatum fuit; hinc etiam quaestiones inutiles, obsoletas, quandoque et minus decentes, theologicae gravitati non consentaneas. Conjecturas nimium sectatur, sensui sripturae accommodato etc. plus quam par est indulget.“ (Hurter. Nomencl. t. 4. n. 7.). Contra ejusmodi tractationes Mariologicas a recto tramite aberrantes *Theophilus Raynaudus* scripsit opus cum titulo: *Diptycha mariana,* quibus inanes b. Virginis praerogativae plerisque novis scriptionibus vulgatae a probatis et veris apud patres theologosque secernuntur; quod opus quidem in multis praestat, sed in aliis pariter naevis non caret. Pleraeque quaestiones mariologicae ingeniose et profunde tractantur a *Cardinali Berulle* in pluribus opusculis necnon imprimis a *Bossuet* in sermonibus de B. V. habitis.

4. *Ex recentioribus scriptoribus* studio theologico imprimis **13.**
apte inservire posse videntur, qui sequuntur: *Ventura*, La madre di Dio; *Borgianelli*, La maternità divina; *Ludovico del Castelplanio*, Maria nel consiglio dell'Eterno; *Aug. Nicolas*, La S. Vierge; *Morgott*, Mariologie des hl. Thomas; *Chr. Stamm*, Mariologia; C. H. T. *Iamar*, Theologia Mariana; *I. Bucceroni,* Commentarii de B. V. M.; *Aloys Schäfer*, Die Gottesmutter in der hl. Schrift; *I. B. Terrien,* La mère de Dieu et la mère des hommes; *Neubert,* Marie dans l'èglise antenicenne; *Scheeben,* Dogmatik, §§ 274.—282.; *Bourassé,* Summa aurea de laudibus B. M. V. (in qua collecta ex diversis temporibus exstant opera plura insigniora de B. V.); *Em. Campana,* Marie dans le dogme catholique; *Broise,* La

S. Vierge: *Hugon*, La mère de grâce; *Petitalot*, La Vierge Mère.

14. 5. *Denique praetermittendum non est*, theologiae Marianae magnum emolumentum atque subsidium praebere documenta plura, quae recentiore aetate *a Romanis Pontificibus* emanarunt. Et primo quidem loco considerationem theologi sibi expostulat Bulla *Pii IX. Ineffabilis*, qua doctrinam de immaculata B. V. conceptione sollemniter tamquam dogma divinitus revelatum definivit; utpote in qua generatim summa dignitas et praerogativae B. V. M. celebrantur; deinde etiam litterae encyclicae, quas plures edidit *Leo XIII.* de rosario Mariali sedulam atque attentam theologi considerationem merentur, utpote in quibus pleraque capita doctrinae catholicae de B. V. lucide exponuntur: idem tandem valet de litteris encyclicis *Ad diem illum laetissimum* a *Pio X.* occasione solemnium quinquagenariorum Imac. Concept. datis, utpote in quibus praesertim B. Virginis-Matris relationes et munera, quae nostram redemptionem atque salutem spectant, succincte quidem sed nervose atque clare exhibentur et commendantur. — His autem documentis pontificiis etiam quoad alia praeter dogma immaculatae conceptionis sollemniter definitum spectatis magnum auctoritatis pondus insidere, ex eo manifestum est, quod a primario magisterii authentici organo procedunt.

15. ***5. Tractatus divisio.*** — Quae de B. Virgine Matre theologice exponi possunt, omnia ad tres partes commode revocantur, prout scilicet B. Virgo sub triplici respectu considerari potest. Etenim *primo* spectari potest in sua ad Deum relatione, quae potissimum in maternitate divina continetur; hac enim maternitatis divinae dignitate radicaliter et essentialiter in ordine supernaturali et quodammodo divino constituitur. *Secundo* considerari potest magis in seipsa secundum varias praerogativas et dotes, quae ex maternitate divina tamquam ex radice progerminant vel in ea fundantur. *Tertio* spectanda est etiam in sua ad homines relatione; atque haec relatio diversis quodammodo juribus et officiis atque imprimis spirituali erga nos maternitate continetur. *Quarto* denique, cum ex hominibus S. Joseph cum B. V.

peculiari et individua ratione connectatur, ad has diversas de B. V. considerationes apte annectitur consideratio de S. Joseph sponso B. Virginis, utpote quae ad adaequatam B. Virginis cognitionem sane non exigue conferre potest. Quae cum ita sint. quadruplex est hujus tractatus vel partis quaestio:

Quaestio prima: De B. V. in sua ad Deum relatione sive de divina ejusdem maternitate.

Quaestio altera: De B. V. in se considerata sive de diversis ejusdem dotibus et praerogativis.

Quaestio tertia: De B. V. in sua ad homines relatione sive de spirituali ejusdem erga nos maternitate.

Quaestio quarta: De B. Joseph B. V. sponso.

Quae ratio procedendi et divisio analogiam quandam habet cum divisione tractatus *de Verbo incarnato*, utpote in quo etiam tres vel quatuor quodammodo partes vel gradus in progressu discerni possunt: scilicet *primo* consideratur constitutio Dei-hominis sive unio humanae naturae cum Verbo divino; *secundo* spectantur praerogativae et excellentiae humanae naturae ex ea unione consequentes; *tertio* consideratur Christus ut Redemptor hominum et in aliis ad eosdem relationibus; denique *quarto* his omnibus annecti solet consideratio de B. V. M., utpote quae intime cum Christo connexa est.

Quaestio prima.

De maternitate divina B. V.

Articulus primus.

De veritate vel existentia maternitatis divinae.

Thesis 1. **Cum mysterio incarnationis intime connexum est, quod B. V. Maria vero et proprio sensu Dei genetrix dicitur et est.**

Declaratio.

1. ***1. Ratio incipiendi a maternitate.*** — Fides maternitatis divinae tum recapitulatio quaedam atque tessera totius dogmatis Incarnationis est tum in ordine intentionis saltem fundamentum est vel radix, ex qua omnes aliae B. V. excellentiae progerminant. Quare merito et aptissime a maternitate tractatio exorditur.

1. Primo tessera est, qua tota incarnationis fides recapitulatur, quod egregie exponit *S. Joannes Damascenus:* „Merito igitur et vere sanctam Mariam Deiparam appellamus. Hoc enim nomen totum incarnationis mysterium adstruit. Nam si Dei mater est, quae genuit, profecto Deus est, qui ex ipsa genitus est, profecto etiam homo. Nam qui fieri potuisset, ut Deus qui ante saecula exstabat, ex muliere nasceretur, nisi homo factus esset? . . Quod si ille ipse qui ex muliere natus est, unus procul dubio atque idem est, qui ex Deo Patre genitus est, quod ad divinam substantiam attinet, quique extremis temporibus secundum substantiam. quae initium habuit, i. e. humanam, ex Virgine natus est.

Hoc vero, unam Domini nostri Iesu personam duasque naturas et duas generationes significat." (De fide l. 3. c. 12.)

2. *Secundo maternitas divina ratio est et radix ceterarum praerogativarum,* quibus B. V. insignita est. „Quidquid, inquit *Petavius,* in b. Maria laude et praedicatione dignum, quodcunque gratiae et gloriae decus et ornamentum, totum id illa maternitati suae refert acceptum. Ab hac enim ceu fonte et origine cuncta fluxerunt, quae in ea mirifica et stupenda congessit divina largitas, quae nusquam alias se copiosius atque uberius effudit". (De incarn. l. 14. c. 8. n. 2.). Et *Suarez:* „Sicut initio huius doctrinae de Christo et incarnatione primum statuimus ac demonstravimus, Christum esse Deum atque incarnationem esse factam, quoniam hoc erat fundamentum omnium, quae de hoc mysterio dicenda erant, ita in his disputationibus de B. Virgine praemittere oportet, illam esse matrem Dei, et explicare, qualis et quanta fuerit haec dignitas: et quomodo ad illam fuerit B. V. praedestinata, quoniam ex hoc fundamento ratio omnium, quae de Virgine docemus sumenda est." (Disp. 1., initio.). 2.

2. *Quaestionis divisio.* — Ut autem maternitas divina, quantum fieri potest, in sua luce ponatur, plura secundum ordinem exsequenda sunt: Et *primo* quidem haec maternitas magis physice consideranda est vel demonstretur oportet, B. Virginem reipsa vero et proprio sensu esse Dei genitricem; *secundo* considerandum est, quanta sit huius maternitatis tum in se tum relate ad alias creatas et supernaturales praerogativas dignitas et excellentia; quod ut magis adhuc pateat, *tertio* spectandae sunt relationes peculiares, quas maternitas ad singulas personas divinas in B. Virgine inducit; *quarto* denique exponitur, maternitatem divinam vero quodam sensu B. Virginem sanctificare non eadem quidem, sed analoga ratione, qua humana Christi natura per unionem hypostaticam sanctificata est. — Quare quadruplex huius quaestionis articulus exstat: 3.

Articulus primus: De veritate vel existentia divinae maternitatis.

Articulus secundus: De summa huius maternitatis dignitate.

Articulus tertius: De Matris Dei ad singulas personas divinas relatione.

Articulus quartus: De B. Virginis per maternitatem divinam sanctificatione.

4. ***3. Nestorii haeretica negatio divinae maternitatis.*** — *1.* Cum in *primis ecclesiae saeculis* divina maternitas explicite et directe negata non sit, plures tamen haereses eidem implicite et indirecte oppositae erant. Quia scilicet maternitas divina dicit, Dei Filium et ipsum verum Deum ex B. Virgine secundum naturam humanam natum esse, implicite saltem vel indirecte eidem opponitur quaevis doctrina Christo denegans sive veram naturam humanam sive veram divinitatem. Qua ratione maternitati divinae opponi intelligitur tum haeresis doketarum, quatenus Christo adscribit non veram et realem naturam humanam, sed tantum phantasticam vel apparentem; tum haeresis monophysitica, quatenus Christo tribuit unam naturam divino-humanam, quae sane non posset esse terminus generationis humanae; tum haeresis ariana, quatenus Verbo et consequenter Iesu i. e. Verbo cum natura humana unito veram naturam divinam denegat. Accedit haeresis Valentinianorum pariter maternitati divinae necessario opposita, quatenus corpus Christi ex coelesti materia formatum per Mariam tantum transiisse non autem ab ea conceptum et formatum esse absone contendit.

5. *2.* Sed his figmentis praetermissis *haeresis Nestoriana* imprimis consideranda est, utpote qua primo directe et expresse maternitas divina impetita est. Nimirum Theodorus Mopsuestenus et Nestorius agnoscentes quidem veram et realem naturam humanam Christi necnon veram divinitatem Verbi conjuncti atque pariter naturae humanae Christi ex B. Virgine conceptionem et nativitatem nihilominus eam non Dei matrem (θεοτόκον), sed tantum Christi matrem (Χριστοτόκον) dici posse et esse impio conatu contenderunt. Cujus erroris fundamentum est, quod Christum tamquam merum hominem a Deo Verbo personaliter distinctum et cum eo nonnisi accidentaliter conjunctum considerabant: hinc enim sane consequeretur, Beatam Virginem esse quidem Christi

matrem, utpote quae ipsum revera concepit ac peperit, eandem vero nequaquam esse Dei matrem, utpote quae Deum nec concepit nec peperit. Ita Nestorius ejusque asseclae; verum per argumenta catholicorum pressi aliquando concedebant, B. Virginem dici posse Dei matrem, sed intelligebant sensu latiore et improprio, quatenus scilicet genuerit hominem, qui postea peculiari quamvis accidentali unione cum Deo conjunctus sit ideoque divinos honores mereatur; sicut simili ratione femina, quae puerum genuit postea sacerdotem factum vel sanctum, mater sacerdotis vel sancti dici potest. Quae concessio sane nonnisi larvam quandam verae et catholicae doctrinae de maternitate divina exhibet.

3. *Post Nestorianam haeresin* divinae maternitatis fides 6.
apud omnes christianos Nestorianis paucis superstitibus exceptis per totum medium aevum vigebat neque ulla nova haeresis opposita est. Verum saeculo 16. a Pseudoreformatoribus quibusdam, ut a *Valentino* quodam, a *Schwenkfeldio*, a *Serveto*, necnon a *Simone Mennon* antiquus Valentinianorum error resuscitatus est, cui *Anabaptistae* qui dicuntur communiter adhaeserunt. Ex modernis Protestantibus *Liberales* vel *Rationalistae* Nestorii vestigiis incedentes, cum divinitatem Christi negent, etiam maternitatem divinam infitiantur; positivi autem vel orthodoxi, etsi duplicem in Christo naturam atque generationem ejusdem secundum naturam humanam ex B. Virgine agnoscant, nihilominus eandem matrem Domini quidem vocant, sed Dei matrem appellare ex caeca quadam aversione detrectare videntur.

4. *Doctrina catholica.* — Contra haereses has 7.
omnes ecclesia catholica tamquam dogma fidei profitetur doctrinam, quam Cyrillus A., validissimus fidei catholicae contra Nestorium defensor, in primo ex 12 anathematismis sic breviter expressit: „Si quis non confitetur, Emmanuelem vere Deum esse et ob id factam Virginem Deiparam (genuit enim illa Incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem) anathema sit.“ Itaque B. Virgo vere et proprie Dei genetrix est; i. e. non genuit solum hominem, qui cum Deo accidentaliter conjunctus sit, sed eum genuit, qui reipsa Deus

est; neque solum hominem genuit, qui postea Deus factus est, sed eum hominem genuit, qui ab initio suae existentiae humanae Deus erat et immutabiliter est. Quare Dei genetrix est non in sensu diviso, quatenus eum genuerit, qui postea factus sit Deus; sed in sensu composito, quatenus terminus generationis erat Deus-homo. Sane si solum hominem genuisset, qui postea factus sit Deus, Dei genetrix non esset quia tunc aliud esset suppositum homo generatus et aliud homo Deus factus; sicut aliud suppositum etiam est homo nascens et ejusdem hominis postea mortui cadaver; quare mater hujus hominis nequaquam cadaver genuisse dicitur. Potest quidem mater, cujus filius postea sanctus evasit, dici sanctum genuisse, quia in hoc casu inter natum et sanctum non personalis sed tantum accidentalis distinctio est; verum etiam hoc non omnino proprie dici videtur, vel non sensu composito, sed sensu diviso tantum dicitur: B. Virgo autem certissime omnino proprie et plene atque perfecte et sensu composito Dei genitrix dicitur, quia inter hominem ab ea generatum et Deum Filium neque accidentalis ejusmodi differentia unquam fuit, sed plena identitas.

8. Apposite *Vincentius L.:* „Absit, ut quisquam sanctam Mariam divinae gratiae privilegiis et speciali gloria fraudare conetur. Est enim singulari quodam Domini ac Dei nostri, filii autem sui, munere verissime ac beatissime θεοτόκος confitenda. Sed non eo modo θεοτόκος, quo impia quaedam haeresis suspicatur, quae asserit, eam Dei matrem sola appellatione dicendam, quod eum scilicet pepererit hominem, qui postea factus est Deus, sicut dicimus presbyteri matrem aut episcopi matrem, non jam presbyterum aut episcopum pariendo, sed eum generando hominem, qui postea presbyter vel episcopus factus est. Non ita, inquam, sancta Maria θεοτόκος; sed ideo potius, quoniam jam in ejus sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quandam atque unicam personae identitatem sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est.“ (Commonit. 21. al. 15.).

Demonstratio.

1. *Probatur ex s. scriptura.* — Etsi generatim, 9.
ut supra dictum est, scripturae doctrina de B. Virgine non sit valde copiosa, maternitas tamen divina in eadem non semel manifesto exhibetur. Itaque:

1) *Probatur per modum corollarii ex doctrina in Christologia demonstrata.* — Nimirum in thesi 7. ex. multis scripturae testimoniis demonstratum est, Christum Deum-hominem, sive Verbum divinum vel Dei Filium naturam humanam per veram generationem ex B. Maria Virgine accepisse, sive secundum naturam humanam ab eadem conceptum et natum esse, sive ejus semen, filium, fructum ventris esse. Atqui virgo, ex qua Deus Filius per veram generationem naturam humanam assumpsit, a qua secundum naturam humanam conceptus et natus est, cujus semen est et filius et fructus ventris, vero et proprio sensu Dei genitrix dicitur et est. Ergo B. V. reipsa vero et proprio sensu Dei genetrix dicitur et est.

2) *Ex testimoniis variis, quibus B. V. mater Christi* 10.
dicitur. - Quod argumentum a *S. Thoma* sic proponitur: „Licet non inveniatur expresse in Scriptura dictum, quod B. V. sit mater Dei, invenitur tamen expresse in scriptura, quod Iesus Christus est verus Deus, ut patet 1. Ioan. ultim; et quod B. V. est mater Iesu Christi, ut patet Matth. 1. Unde sequitur ex necessitate ex verbis scripturae, quod sit mater Dei. Dicitur etiam Rom. 9, 5., quod ex Iudaeis *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Non autem est ex Iudaeis nisi mediante Beata Virgine. Unde ille, qui est *super omnia Deus benedictus in saecula,* est vere natus ex B. Virgine sicut ex sua matre.“ (S. th. 3. p. q. 35. a. 4. ad 1.). Breviter dici potest: Cum Christus vere Deus Filius sit, quae Christo conveniunt, eadem etiam Deo Filio conveniant necesse est; Christus autem B. Virginem matrem habet. Ergo etiam Deus Filius B. Virginem matrem habet, sive B. V. vero et proprio sensu Dei genetrix vel mater est. — Reipsa autem B. Virginem in scriptura matrem Christi vel Iesu dici, ex pluribus

testimoniis manifesto sane constat; ut v. g. Ioan. 2. 1.: *Et erat mater Iesu ibi;* et adhuc ter in eodem capite *mater Iesu* vel *mater ejus* dicitur; Luc. 2, 37: *Et* (Simeon) *dixit ad Mariam matrem ejus;* ibid. 2, 48.: *Et dixit mater ejus ad illum;* Matth. 2, 11.: *Invenerunt puerum cum Maria matre ejus et adoraverunt eum;* atque item in eodem capite adhuc ter mater pueri Iesu dicitur.

11. *Excipi potest primo,* eadem ratione etiam S. Ioseph patrem Dei probari posse, utpote qui pariter in scriptura pater Iesu vocatur, ut v. g.: *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te* (Luc. 2, 48.). — *R.* revera S. Ioseph quoque quadam ratione patrem Christi ideoque ipsius Dei Filii dici posse, ut inferius accuratius explicabitur; ceterum ex ipsa scriptura hac in re inter B. Virginem manifesta et magna disparitas est: scilicet Luc. 3, 23. de Iesu disertis verbis dicitur: *ut putabatur Filius Ioseph;* praeterea S. Ioseph nunquam Christum genuisse dicitur, imo vero hoc expressis verbis v. g. per angelum mysterium incarnationis annuntiantem excluditur.

12. *Excipi potest secundo*, Christum ipsum B. Virginem nunquam matrem. sed potius mulierem appellasse (ut in nuptiis in Cana celebratis et in cruce) necnon eam denegasse videri, cum diceret: *quae est mater mea* (Matth 12, 48.). — *R.* optime pro scopo praesenti *Suarez:* „Christum illo modo fuisse locutum, quia ita decebat tum propter Christi modestiam et gravitatem, tum etiam, ait Augustinus, propter exemplum nostrum; dixerat enim ipse Matth. 23.: *Nolite vocare vobis patrem supra terram.* Fortasse etiam in illo loco Ioan. 19. matris appellationem vitavit, ne Virginem amplius commoveret, ut ibi notavit Lyranus. In alio vero loco Ioan. 2. id fecit, ut indicaret, illud opus et miraculum, quod B. Virgo postulabat, esse divinae virtutis, non humanitatis proprium, quam solam a matre susceperat, ut Augustinus notat tract. 8. in Ioan. et lib. de fide et symbolo c. 4., vel certe, sicut se vocabat *filium hominis,* ita Virginem per antonomasiam mulierem appellabat, ut eam esse indicaret mulierem illam, per quam damna primae mulieris instauranda

forent." (Disp. 1. s. 1. n. 5.) — Quod verba Christi in cruce morituri attinet, addendum est, quod *Suarez* jam ante notaverat: „Christus in cruce moriens se esse Filium Virginis professus est, cum dixit Virgini: *Ecce filius tuus*, Ioan. 19.; illo enim exemplo, ut Augustinus tract. 119., Chrysostomus hom. 84. et Cyrillus l. 12. c. 34. notarunt, parentes honorandos et illorum curam a nobis gerendam esse docuit. Recognovit igitur et honoravit Virginem ut matrem, et ideo in extrema angustia positus tantam illius curam habuit, ut notarunt etiam Cyprianus . . ., Ambrosius . . ., Hieronymus . . ., Nazianzenus . . ." (Ibid. n. 4.) — Denique quod spectat Matth. 12. 48. „respondetur, non negasse Christum matrem suam, sed illis verbis reprehendisse eos, qui se concionantem importune interpellabant; secundo docuisse, propter consanguineos non esse opus Dei omittendum; tertio quorundam jactantiam frenare voluisse, qui de Christi consanguinitate gloriabantur, significando eam sine spirituali conjunctione nihil prodesse, hanc vero per se multum valere . . .; quarto . . hoc facto significasse Christum, ecclesiam quae credidit, synagogae fore praeferendam, ex qua ipse erat secundum carnem." Quam responsionem ex Patribus pluribus confirmat. (Ibid. n. 6.)

3) *Ex testimoniis, quibus B. Virgo expressis verbis* **13.**
mater Dei sive aequipollente nomine vocatur vel Deus sive Filius Dei ejusdem Virginis filius dicitur. — Reipsa enim, quod aliqui dicunt, scilicet B. Virginem in scripturis nunquam expressis verbis vel directe tamquam matrem Dei exhiberi, nequaquam concedendum est. Huc spectat imprimis *celeberrimum Isaiae vaticinium* 7. 14.: *Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Scilicet in hoc vaticinio tum ex scriptura N. T. tum ex SS. Patrum doctrina sine dubitatione messianico nomen Messiae *Emmanuel* i. e. *nobiscum Deus* vero et reali et proprio sensu accipiendum esse ex subsequentibus patet, ubi ejusdem pueri divinitas plane declaratur, ut v. g. 9, 6.: *Parvulus enim natus est nobis et filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus: Ad-*

mirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Idem SS. Patres docent, ut v. g. *Theodoretus:* „Significat autem id nomen Deum hominem factum. Deum qui humanam naturam assumpsit, Deum huic unitum, Dei formam et servi formam in uno filio spectatam.“ (In h. l.). Et *Chrysostomus:* „Tunc enim maxime nobiscum Deus factus est, cum in terra visus est, cum hominibus conversatus est multamque erga nos providentiam exhibuit.“ (In h. l.). Itaque Deus a propheta dicitur concipi et pari a Virgine; ergo, cum correlativa necessario simul sint et simul etiam concipiantur et asserantur, Virgo mater Dei esse declaratur.

14. *Secundo* huc spectant *verba Angeli* mysterium incarnationis B. Virgini his verbis annuntiantis: *Ne timeas Maria, quia invenisti gratiam apud Deum. Et ecce concipies in utero et paries Filium et vocabis nomen ejus Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur* (Luc. 1. 30—32.). *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi ideoque et, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (Ibid. 35.). Nomina *Filius Altissimi* et *Filius Dei* in proprio sensu usurpari ex contextu patet adeoque de hoc testimonio valent eadem, quae circa praecedens vaticinium notata sunt. Addi potest, quod circa utrumque scripturae locum notandum et ponderandum est, veram et realem et adaequatam, scilicet conceptione et partu constitutam, maternitatem Virginis exhiberi. Et *confirmatur* etiam inde, quod jus aliquod maternum princeps B. Virgini tribuitur, sc. jus nominis imponendi: *Et vocabis nomen ejus Iesum.*

15. *Tertio* huc spectant verba Elisabeth, quae impleta Spiritu Sancto, B. Virginem eam visitantem salutans exclamavit: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui; et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me . . . Et beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino.* (Luc. 1. 42—45.). Scilicet *Dominus* (κύριος) ex usu scripturae idem est ac Deus: et nominatim hoc loco non potest esse nisi

Deus, quia eidem Domino revelatio vel annuntiatio Mariae facta adscribitur, utpote quae tantum a solo vero Deo procedere potuit. Ergo B. Virgo a s. Elisabeth impleta Spiritu Sancto reipsa mater Dei salutatur.

2. Ex traditione. — Cum fides ecclesiae post con- 16.
cilium Ephesinum, in quo divina maternitas B. Virginis contra Nestorianam haeresin sollemniter definita est, non possit non esse valde manifesta, potius in fidem priorum saeculorum paucis inquirendum est. Iamvero etiam hac aetate fidem divinae maternitatis Christianorum animis penitus infixam fuisse, pluribus rationibus vel documentis certo demonstratur:

1) *Et primo quidem id consequitur ex facto historico, scilicet ex ingenti commotione populi christiani, quam negatio Nestoriana hujus fidei excitavit.* — Etenim funesta haec negatio ingens scandalum movit atque omnium fere catholicorum detestationem provocavit; defensio autem maternitatis divinae a Proclo et deinceps imprimis a Cyrillo A. suscepta atque maxime definitio ejusdem sollemnis a Concilio Ephesino lata ingenti cum plausu a populo fideli excepta est; quibus illud sane notatu dignum addendum est, quod idem Concilium in ecclesia conveniebat, quae B. Virgini sub titulo matris Dei consecrata erat. (Socrates, H. E. l. 7. c. 32., Cyrillus Al. ep. 24. ad clerum et populum Alexandrinum). Iamvero haec omnia manifesto ostendunt, jam pridem ante exortam haeresim Nestorianam fidem in maternitatem divinam B. Virginis in ecclesia viguisse; imo vero consideratis principiis catholicis de traditione eandem ad apostolicam aetatem referendam esse argumento sunt.

2) *Accedunt secundo alia de fide ejusdem prioris aetatis* 17.
testimonia, quae eo minus suspicionem movere possunt vel majorem considerationem merentur, si personarum testantium ratio habeatur. — Nimirum teste Cyrillo A. (Contra Iulian. l. 8.) *Iulianus Apostata* his verbis Christianos lacessere voluit: „Vos Mariam Deiparam vocare non cessatis.“ Alterum testimonium est *Ioannis Antiocheni* et tertium *Theodoreti*, quorum uterque plus aequo Nestorio favebat. Ille scilicet

in epistola ad Nestorium directa eundem hortatur, ut deposita pervicacia omni impugnare desinat nomen illud, „quod a permultis Patribus compositum, scriptum et pronuntiatum est. Hoc enim nomen nemo doctorum ecclesiasticorum repudiavit. Nam et plures eo sunt usi iique celebres, qui autem usi non sunt, utentes non reprehenderunt"; atque rationem subdit egregiam: „Etenim si id, quod nominis significatione effertur, non recipimus, restat, ut in gravissimum errorem prolabamur; imo vero, ut inexplicabilem illam Unigeniti Filii Dei oeconomiam abnegemus. Quandoquidem nomine hoc sublato vel hujus potius nominis notione repudiata, sequitur mox illum non esse Deum." Altero vero, scilicet *Theodoreto*, teste „antiquissimi orthodoxae fidei praecones secundum apostolicam traditionem docuerunt, Matrem Domini dicendam credendamque esse Dei Genetricem." (Haer. fab. 4, 12.). Itaque ambo hi scriptores antiquam et traditam esse fidem in divinam B. V. maternitatem sine ambagibus testantur.

18. 3) *Tertio denique etiam e prioribus saeculis Patrum vel scriptorum ecclesiasticorum testimonia exstant, quibus B. Virgo verbis claris vel expressis vel aequivalentibus vero et proprio sensu tamquam Dei genetrix exhibetur. — Et ipsam rem maternitatis divinae vel eandem verbis aequivalentibus* jam clare exhibet *S. Ignatius M.*: „Deus noster Iesus Christus, inquit, parturiebatur a Maria ex semine David, Spiritu autem Sancto." (Ad Ephes. 18.); et: „Medicus unus est, carnalis et spiritualis, factus et non factus . . . et ex Maria et ex Deo." (Ibid. n. 7.). Deinde *Aristides*: „Christiani initium religionis suae a Iesu Christo computant. Hic ipse Filius Dei altissimi appellatur et de eo docent: Deum descendisse de coelo et ex virgine hebraea carnem assumpsisse et induisse. Itaque Filius Dei in filia hominis habitavit." (Apol, c. 2.). Et *Iustinus*: „Qui (Christus), cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est. Ac prius quidem Magis et ceteris prophetis in specie ignis et imagine incorporea visus est; nunc autem vestri imperii temporibus ex virgine, ut jam diximus, homo factus secundum Patris voluntatem.

pro eorum salute qui illi credunt, et pro nihilo haberi et pati sustinuit." (Apol. 1. n. 63.). Item *Hippolytus:* „Verbum e coelis descendit in S. Virginem Mariam, ut ex ea incarnatum . . . factum omnia, quaecunque est homo, excepto peccato, salvaret Adam, qui ceciderat." (Cont. Noët. n. 17.). *Irenaeus* quoque multis idem docet: scilicet ipso teste Christus est „recapitulans in se Adam ipse Verbum existens ex Maria" (cont. haer. l. 3. c. 21.); „Filius Dei natus est ex Virgine", „Christus natus ex Maria Emmanuel est", Maria Deum „portavit"; quae cum aliis similibus sententiis passim occurrunt ibidem cc. 16. 18. et l. 5. c. 19. Item *Tertullianus* clarissime eandem fidem prodit: „Quod concipit Virgo, id peperit: id ergo nasci habebat, quod erat conceptum et pariundum, i. e. spiritus, cujus et vocabitur nomen Emmanuel" (Cont. Prax. 27.). Et alibi: „Concepit igitur et peperit virgo Emmanuelem, Nobiscum Deum. Haec est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo, in quo homine Deus natus est . . . In vulvam ergo Deus Verbum suum detulit . . . inde prodeundum fuit Christo ad salutem hominis." (De carne Christi c. 17.). Et iterum: „Sicut nondum natus ex Virgine patrem Deum habere potuit sine matre, aeque cum de Virgine nasceretur, potuit matrem habere hominem sine homine patre." (Ibid. c. 18.). — Atque haec testimonia jam sufficiunt, utpote quibus fidem in ipsam rem maternitatis divinae in ecclesia inde ab aetate apostolica semper viguisse, manifesto constat: plura collecta exhibet Petavius, De Incarnatione l. 5. c. 14.

Verum etiam ipsum nomen θεοτόκος, *mater Dei, genitrix Dei, Deipara et alia synonyma diu ante Nestorium B. Virgini frequenter attributa esse vel in usu communi fuisse dubitari nequit.* De quo usu jam constat ex testimoniis modo supra relatis Iuliani Apostatae necnon Ioannis Antiocheni et Theodoreti. Sed et alia plura documenta exstant, quae vel de usu hujus nominis testantur vel ipsa hoc nomen usurpant. Et cum nonnulla quidem ex his testimoniis dubia sint, alia tamen omnino certa sunt; atque ad haec saltem ea spectant, quae sequuntur: *Cyrillus H.* de B. Virgine 19.

loquens dicit: μαρτυρεῖ παρθένος ἡ θεοτόκος. (Cat. 10. n. 19.) — *S. Ephraem S.* saepius hoc nomen B. Virgini tribuit; v. g. in hymnis, de quibus editor *Lamy* animadvertit: „totus est Vates Syrus in hisce hymnis ut praedicet, Mariam esse vere Dei genitricem", eandem saepius appellat matrem Dei et Deiparam (I., 142. et II., 576. et 612.). — *Didymus Al.* in opere περὶ τριάδος diversis locis praedicatum θεοτόκος B. Virgini tribuit (l. 1. c. 31.; l. 2. c. 4.; l. 3. c. 7. et 41.). — *Epiphanius* idem nomen adhibet (Ancoratus, ed. Dindorf I, 176. § 75.). — *Apollinaris L.* saltem ter B. Virginem θεοτόκον praedicat, bis scilicet in libro πρὸς τοὺς κατὰ τῆς θείας τοῦ λόγου σαρκώσεως ἀγωνιζομένους atque semel in dissertatione περὶ τῆς σαρκώσεως τοῦ θεοῦ λόγου. — *Gregorius Nyss.* eos vituperat, qui B. Virginem ἀνθρωποτόκον appellent, cum secundum rei veritatem θεοτόκος vocetur et sit (Epist. ad Ambrosiam); atque alibi eidem titulum eundem bis tribuit (sermo de occursu Domini). — *Basilius M.* idem nomen adhibet (Or. theol. 3. de Filio n. 4.). — *Gregorius Naz.* declarat: „Si quis non Dei genitricem (θεοτόκον) Mariam suscipit, separatus a divinitate sit." (Epist. ad Cledon. 1, 3.). — *Titus Bostr.* B. V. Mariam saepius Dei genitricem salutat in scholiis ad Luc. I, 46. — *Eusebius Caes.* B. Virginem saepius θεοτόκον appellat; ita de S. Helena narrat: In urbe Bethlehem „Dei amantissima regina Deiparae (τῆς θεοτόκου) partum eximiis monumentis ornavit." (Vita Constantini l. 3. c. 43.). Item ex commentario in Ps. 109 necnon ex Quaestionibus ad Marinum patet, Eusebium consuevisse illo B. Virginis titulo uti. — *S. Athanasio* praesertim sollemne erat, B. Virginem θεοτόκον appellare. ut v. g. or. c. Arian. 3. n. 14, n. 29., n. 33.; or. 4. n. 32.; de incarn. c. Arian. n. 8. et n. 22. Item saepius idem titulus occurrit in libro de incarnatione Domini nostri Iesu Christi contra Apollinarium (l. 1. n. 4. 12. 13.), qui liber, etsi Athanasii, cui tribuebatur, non sit, saeculo tamen 4. ortus est. — Magister S. Athanasii, *Alexander Al.*, eundem titulum jam adhibuit: in epistola ad Alexandrum Constantinop. scribit: „Novimus resurrectionem mortuorum, cujus primitiae fuit Do-

minus noster Iesus Christus. qui carnem revera gestavit, non sola specie, sumptam ex Maria deipara, ἐκ τῆς θεοτόκου Μαρίας. (Ep. 1. c. 12.). — Denique etiam *Origenem* jam titulum θεοτόκος B. Virgini tribuisse, satis certum est. Etenim teste *Socrate* (H. E. l. 7. c. 32. n. 44.) in commentario in ep. ad Romanos luculentam de hoc titulo disputationem inseruit: ἑρμενεύων, πῶς θεοτόκος λέγεται, πλατέως ἐξήτασεν. Etsi vero illius commentarii textus graecus non exstet, sed solum retractatio quaedam latina liberior a Rufino facta restet, in qua ille titulus non invenitur; nihilominus relatio Socratis plenam fidem meretur tum quia generatim Socrates vir fide dignus est, tum quia assertio et usus ejusdem tituli cum reliqua Origenis de incarnatione et de Virgine doctrina optime consonat. Origenes autem primus hujus tituli testis esse videtur, cum ante ipsum eundem adhibitum esse nullo certo documento historico demonstrari queat. Itaque titulus θεοτόκος saeculo 3. jam occurrit, saeculo autem quarto demum vel jam hujus saeculi initio invaluit et communi usu receptus est. (cf. Schweitzer, in *Der Katholik* 1903. 1. Bd. p. 97. ss. Mansi, Concil. Collect. 4, 577 ss. necnon Simon de Magistris in praefatione ad opera Dionysii Al.).

Cum tam luculentum sit traditionis testimonium de di- 20
vina B. Virginis maternitate, *Cyrillus A.* contra Nestorium merito ad illam provocavit atque eundem ejusque haeresin sic perstrinxit: „Recens quidem draco est nequam ille et veneno temulentam habens linguam, quique contempta traditione eorum, qui orbem terrarum sacra mysteria docuerunt, immo potius universa s. scriptura valere jussa, rebusque novis pro sua libidine introductis, sanctam Virginem deiparam esse negat, sed potius Christum sive hominem peperisse, aliaque his affinia perquam absurda atque stupida rectis ac puris ecclesiae dogmatibus inferens“ (Quod unus sit Christus). — Et *I. Damascenus* eundem Nestorium indignabundus ita sugillat: „Atvero sanctam Virginem neutiquam Christiparam nuncupamus, quia ad abolendum Deiparae vocabulum Nestorius, impurus ille et exsecrandus animoque judaeus, illud igno-

miniae vas, in contemptum ejus, quae super creaturam omnem sola vere colenda est, Dei Genitricis (disrumpatur licet ille cum patre suo satana) hoc nominis excogitavit, quod obtruderet. Enimvero rex David Christus quoque dicitur, et pontifex Aaron, quippe cum reges et sacerdotes ungi solerent; quinimo quivis homo pius, et cui Deus aspiraverit, Christus dici possit, at non perinde Deus; juxta ac exitiabilis ille Nestorius eum, qui de Virgine natus est, deiferum ore fremebundo pronuntiavit. Verum hoc absit a nobis, ut eum afflatum a Deo deiferumve dicamus vel cogitemus, imo potius incarnatum Deum" (De fide l. 3. c. 12.). — Atque cum Nestorius exemplum Theodori Mops. sequens subdole agens et fraudes nectens titulum θεοτόκος admitteret tandem, verum ad perversum sensum detortum atque ea ratione etiam *Coelestinum I.* decipere vellet ad eundem scribens: „Si quis hoc nomen θεοτόκος propter natam humanitatem conjunctam Deo Verbo, non propter parentem proponet, dicimus quidem hoc vocabulum in ea, quae peperit, non esse conveniens. Ferri tamen potest hoc vocabulum propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa, non quia ipsa mater sit Verbi Dei" (Mansi, Concil. coll. t. 4., 1022.); fortiter et vehementer ab eodem Pontifice repressus est: „Aperte hanc scias nostram esse sententiam, ut, nisi de Deo Christo nostro ea praedices, quae et romana et alexandrina et universalis ecclesia catholica tenet, sicut et sacrosancta constantinopolitanae urbis ecclesia ad te usque optime tenuit, et hanc perfidam novitatem, quae hoc, quod venerabilis scriptura coniungit, nititur separare, intra decimum diem a primo innotescentis hujus conventionis die numerandum, aperta et scripta professione damnaveris, ab universalis te ecclesiae catholicae communione dejectum" (Ibid. 1034. ss.).

21. Denique *magisterium authenticum* maternitatem divinam B. Virginis traditione adeo comprobatam sollemniter, ut jam supra (n. 7.) dictum est, definivit in *concilio Ephesino:* „Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel ac propterea Dei genitricem sanctam Virginem, peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei Verbum, a. s." (can. 1.). Et explicatius iterum idem dogma pro-

posuit in *concilio Constantin. 2. oecum. 5.*: „Si quis abusive et non vere Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, aut per relationem tamquam homine puro nato, non autem Dei Verbo ex ea incarnato, sed relata secundum illos hominis nativitate in Deum Verbum, tamquam cohaerens nascenti homini: et criminatur sanctam Chalcedonensem synodum, tamquam secundum eundem impium intellectum a Theodoro commentatum, Dei Genitricem Virginem asserentem; aut si quis hominis genitricem vocat eam . . . a. s.“ (can. 6.; cf. epist. *Ioannis II.* ad senatores Constantinopolitanos, professionem fidei ab *Urbano VIII.* Orientalibus praescriptam et a *Benedicto XIV.* confirmatam necnon constitutionem *Pauli IV.* contra Socinianos latam a. 1555 et a *Clemente VIII.* 1603. confirmatam.)

3. *Ex ratione theologica.* — In hac demonstratio- 22.
nis parte id maxime agitur, ut dogma jam sufficienter demonstratum magis declaretur et cum veritatibus quibusdam in Christologia propositis connectatur vel ex iisdem deducatur.

Tres scilicet imprimis veritates omnino certae sunt, in quibus maternitas divina B. Virginis tamquam in fundamentis innititur: Primum fundamentum est, quod persona non natura subjectum generationis est atque generari dicitur, natura vero est terminus formalis generationis vel illud, secundum quod persona generatur, vel id quod personae per generationem a generante communicatur: quae veritas profecto in communi omnium hominum conceptione continetur. Apposite *S. Thomas:* „Nativitas potest attribui dupliciter: uno modo sicut subjecto, alio modo sicut termino. Sicut subjecto quidem attribuitur ei quod nascitur; hoc autem proprie est hypostasis non natura. Cum enim nasci sit quoddam generari, sicut generatur aliquid ad hoc quod sit, ita nascitur ad hoc quod sit. Esse autem proprie est rei subsistentis; nam forma, quae non subsistit, dicitur esse solum, quia ea aliquid est: persona autem vel hypostasis significatur per modum subsistentis; natura autem significatur per modum formae, qua aliquid subsistit. Et ideo nativitas tamquam subjecto nascenti proprie attribuitur personae vel hypostasi non naturae: sed sicut

termino attribuitur nativitas naturae. Terminus enim generationis et cujuslibet nativitatis est forma; natura autem per modum formae significatur. Unde nativitas dicitur esse via ad naturam“ (S. th. 3. p. q. 35. a. 1.).

23. *Alterum fundamentum* est ipsa unitas personalis Christi Dei-hominis vel quae ex ea consequitur idiomatum communicatio. Nimirum eadem numero persona simul Deus est et homo vel habens naturam divinam et humanam; quare cum persona tum denominetur concreto nomine naturae tum subjectum sit praedicationis, de quo natura ejusque proprietates in concreto praedicantur, manifesto consequitur, legitime et proprio sensu de Christo Deo praedicari attributa humana necnon de Christo homine divina. Qua ratione vere et proprie dicitur: Christus Deus crucifixus est, necnon: Christus homo coelum et terram creavit. cf. Christol. Thes. 19.

24. *Tertium denique fundamentum est*, quod natura humana Christi numquam seorsum exstitit, sed a primo instanti suae existentiae adeoque in ipsa sua conceptione a Verbo divino assumpta est, quod principium pariter certissimum est. (cf. Christol. th. 16.). Satis est, hoc loco referre hanc sententiam epistolae *Sophronii a Concilio VI. approbatae:* „Incarnatur Verbum Deus non praefactae carni copulatus vel animae praeexistenti conjunctus, sed tunc his ad subsistendum venientibus, quando eis ipsum Verbum et Deus copulatus est . . . Nec quantum in ictu oculi, hanc quam illam priorem habentia; simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Dei caro animata rationalis“ cf. etiam Leo I. ep. 35. ad Iul. Coen. c. 3.

Quibus fundamentis positis commoda et plana est argumentatio ex ratione theologica:

25. 1) *Ratio prima.* — Eandem egregie proponit et evolvit *S. Thomas:* „Omne nomen significans in concreto naturam aliquam, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturae. Cum autem unio incarnationis sit facta in hypostasi . . .. manifestum est, quod hoc nomen Deus potest supponi pro hypostasi habente humanam naturam et divinam. Et ideo quidquid convenit divinae naturae vel humanae, potest attribui

illi personae, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans divinam naturam, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans humanam naturam. Concipi autem et nasci personae attribuitur et hypostasi secundum naturam illam, in qua concipitur et nascitur. Cum igitur in ipso principio conceptionis fuerit humana natura assumpta a divina persona . . . consequens est quod vere possit dici, Deum esse conceptum et natum de Virgine. Ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicujus mater, quod eum concepit et genuit. Unde consequens est, quod B. Virgo vere dicatur mater Dei. Solum enim sic negari posset, B. Virginem esse matrem Dei, si vel humanitas prius fuisset subjecta conceptioni et nativitati, quam homo ille fuisset Filius Dei, sicut Photinus posuit; vel humanitas non fuisset assumpta in unitatem personae vel hypostasis Verbi Dei, sicut posuit Nestorius. Utrumque autem horum est erroneum. Unde haereticum est negare B. Virginem esse matrem Dei" (S. th. 3. p. q. 35. a. 4.). — *Brevius*: Ex eo mulier aliqua alicujus mater vere dicitur et est, quod eum concepit et peperit; atqui B. Virgo Deum Filium concepit et peperit secundum naturam humanam: ergo B. Virgo vero et proprio sensu Dei Filii mater est.

2) *Ratio altera.* — Sicut Deus Verbum in unitate per- 26.
sonae duplicem habet naturam generatione acceptam, ita duplicem habet nativitatem: alteram aeternam, qua genitus refertur ad Patrem, alteram, qua conceptus et natus refertur ad matrem. Atqui propter generationem aeternam Deus Pater Dei Verbi vere genitor est. Ergo propter generationem temporalem B. Virgo vere et proprie ejus mater est. Apposite *Sophronius Hierosolymitanus:* „Nam Deus erat, qui ex Virgine sancta Dei genitrice Maria natus est, et secundam propter nos et temporalem generationem suscepit post primam ipsius et sempiternam ex Patre naturalem et inexplicabilem generationem." (Ep. syn. ad Serg. Const.).

Neque contra dici potest, per generationem aeternam 27.
Verbum ut hypostasin constitutum esse, non autem per generationem temporalem ideoque hanc non esse veram vel

perfectam generationem. — *R.* enim differentiam istam nullius esse momenti relate ad praesentem quaestionem; quia scilicet id, secundum quod quis a parentibus generatur, natura, non hypostasis est; hypostasis vero est is, qui secundum naturam generatur. Cum quo connectitur, quod ad functionem matris etiam in naturali generatione non spectat constituere ipsam hypostasin filii a se geniti, verum potius exhibere ex sua substantia germen corporis, cui a principio activo foecundato a Deo anima infunditur atque ita ratio personae tribuitur. Itaque maternae generationi essentiale est, substantiam corporis exhibere filio ex se genito: id autem B. Virgo aeque saltem praestare potuit ac revera praestitit relate ad Deum Filium, ac versus filium suum naturalem praestat quaevis mater. Quare nihil repugnat, quominus persona Verbi ab aeterno a Deo Patre genita secundum naturam divinam in tempore secundum naturam humanam a B. Virgine generaretur. Ad rem *Ferrandus Diaconus:* „Manifeste genuit contestantibus signis et virtutibus Deum esse, qui ex homine nascitur. Quid est proprie genuit? Ipsa ei materiam carnis, secundum quam generatur, operante quidem Spiritu Sancto, verumtamen ex suis visceribus tribuit; et ideo quem sic nasci oportuit, etiam proprie genuit“ (Ep. ad Anatol.).

28. 3) *Ratio tertia.* — Christus Deus-homo una persona ideoque unus Filius est; quare idem qui est Dei Filius etiam B. Virginis Filius est; ergo Deus Filius etiam Filius B. Virginis est ideoque haec vere et proprie mater Dei dicitur et est. Vel aliis verbis: Quam vere et proprie Deus Pater Christi hominis Pater est, tam vere et proprie B. Virgo Christi Dei mater est. Apposite *Facundus Hermianensis:* „Porro si idem est Deus qui homo, et idem homo qui Deus, tam recte dicitur Deus Verbum proprius et verus Filius hominis, quam recte dicitur idem ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, proprius et verus Filius Dei: nec ulla confusio naturarum ex eo inducitur, sed personae unitas intimatur“ (Pro defensione trium cap. l. 1. c. 4.).

29. 4) *Ratio quarta.* — B. Virgo concepit et peperit hominem non quemcunque, sed hunc hominem determinatum et indi-

viduum, qui est Christus Iesus: atqui hic homo determinatus et individuus Christus Iesus Filius Dei naturalis atque ideo verus Deus est. Ergo B. Virgo concepit et peperit Filium Dei naturalem vel Deum verum; quare vere et proprie Dei genitrix dicitur et est. Apposite Theodorus Abucara: „Iesus ex Virgine Maria in fine saeculorum sine virili semine genitus hypostasis est una Trinitatis. Propterea proprie ac vere castissima et immaculata Virgo Davidicae stirpis θεοτόκος omnium consensione celebratur“ (Opusc. 2.).

Scholia quaedam.

1. Obiectiones solvuntur. — Nestorianorum alio- **30**
rumque adversariorum cavillationes ipsa argumentatione vel expositione omnes fere praeoccupatae vel exclusae sunt; quare aliquas tantum speciminis causa vel ad majorem adhuc rei explicationem et illustrationem adducere et solvere juvat:

1) Ipse Nestorius Cyrillo (c. Nest. l. 1. c. 3.) referente ita objecit: „Formatur in utero infans, sed quoad figuram acceperit, nondum habet animam; at ubi figuratus fuerit, jam animo informatur a Deo. Ut igitur mulier corpus parit, sed Deus animam tribuit, neque ideo dicetur animae genetrix, quia peperit animatum, sed potius hominis genetrix, sic quoque beata Virgo, etsi peperit hominem simul cum illo pertranseunte Dei Verbo, non ideo est Dei Genitrix.“ — *R.* Obiectio analoga est exceptioni supra contra 3. rationem theologicam allatae atque analoga ratione solvitur. Sed audiatur ipse *Cyrillus* eandem paulo fusius solvens et rem explicatius declarans: „Habet hoc incarnati Verbi mysterium quandam cum humano partu cognationem. Quando quidem terrenorum hominum matres naturae ad generandum subservientes, in utero quidem carnem gestant, quae sensim per temporum intervalla concrescens, arcanisque quibusdam Conditoris operationibus incrementa paulatim sumens, ad perfectionem adducta formam tandem attingit humanam. Deus vero corpusculo, modo quem ipse novit, spiritum infundit. Iam alia est carnis alia animae ratio. Atqui licet illae terrestrium dumtaxat corporum matres fiant, non alteram tamen

partem, sed totum quod ex corpore et anima conflatur, parere dicuntur. Nemo enim exempli gratia Elisabeth carnem tantummodo, non etiam animam peperisse dixerit; si quidem peperit Baptistam animatum et hominem, ut unum ex duobus, carne inquam et anima. Ita et in Emmanuelis quoque ortu accidisse cogitemus. Nam ex Dei Patris substantia natum est, ut dixi, unigenitum illius Verbum. Hoc autem posteaquam carne, quam propriam sibi fecit, assumpta nostram naturam induit et Filius hominis factum est, citra omnem absurditatem, imo vero necessaria convenientique ratione secundum carnem ex muliere natum creditur et praedicatur; quemadmodum et ipsa hominis anima, licet natura a corpore quod informat, diversa intelligatur et sit sua propria ratione, una tamen cum suo corpore oritur et velut unum quidpiam cum ipso censetur“ (Ep. ad monachos Aegypti).

31. *S. Thomas* eadem ratione brevius quidem sed non minus clare vel efficaciter ita respondet: „Si quis autem dicere velit, B. Virginem Dei Matrem non debere dici, quia non est ex ea assumpta divinitas, sed caro sola, sicut dicebat Nestorius: manifeste vocem suam ignoravit. Non enim ex hoc aliqua dicitur alicujus mater, quia totum quod in ipso est ex ea sumatur. Homo enim constat ex anima et corpore; magisque est homo id quod est secundum animam, quam id quod est secundum corpus. Anima autem nullius hominis a matre sumitur, sed . . . a Deo immediate creatur . . . Sicut igitur cujuslibet hominis mater aliqua femina dicitur ex hoc quod ab ea corpus ejus assumitur, ita Dei Mater B. Virgo Maria dici debet, si ex ea assumptum est corpus Dei. Oportet autem dici quod sit corpus Dei, si assumitur in unitatem personae Filii Dei, qui est verus Deus. Confitentibus igitur humanam naturam esse assumptam a Filio Dei in unitatem personae, necesse est dicere, quod B. Virgo Maria sit Mater Dei“ (Comp. theol. c. 222.).

32. Quae S. Cyrilli et S. Thomae responsiones brevissime una hac sententia comprehendi possunt, utpote qua caput rei exhibetur: Cum subjectum generationis sit persona, non anima sed homo a matre generari dicitur, quatenus scilicet

ab ea carnem accepit; quare eadem ratione eodemque jure non natura humana, sed Deus Verbum generatus est a Beata Virgine, quatenus secundum carnem humanam ab ea processit. — Verum objectio nova difficultate instaurari potest; scilicet:

2) *B. Virgo eatenus tantum Dei genetrix dici posse* 33.
videtur, quatenus ex se aliquid contulit ad unionem personae Verbi divini cum natura humana, per quam unionem demum factum est, ut subjectum generationis Deus sit; atqui B. Virgo ad hanc unionem nihil contulit et sic ex parte B. Virginis per accidens est, quod subjectum suae generationis Deus est; ergo vero et proprio sensu Dei mater non est. — *R.* Ut haec difficultas, quae gravior apparet, rite et plene solvatur, conceptio Christi Dei-hominis ex B. Virgine paulo accuratius inspicienda est. Itaque tria vel quatuor in eadem continentur et discernenda sunt: *primum est* productio ovi materni, quod in conceptione naturali per semen virile foecundatur et simul cum hoc in corpus humanum efformatur; *alterum est* foecundatio hujus ovi materni et efformatio corporis Christi ex eodem non naturaliter sed supernaturali Spiritus Sancti virtute facta; *tertium est* creatio et infusio animae humanae in hoc corpus; *quartum est* unio hypostatica hujus compositi cum Verbo aeterno. Iamvero in hac Christi Dei-hominis conceptione B. Virgo idem prorsus praestitit, quod praestat quaevis mater in conceptione hominis, scilicet ex carne sua et sanguine naturali sua virtute paulatim elaboravit ovum vel germen idemque foecundandum et in corpus humanum efformandum subministravit principio activo generationis; differentia solum est, quod in naturali conceptione ovum vel germen maternum foecundatur per semen virile et paulatim in corpus humanum efformatur, in illa autem supernaturali Christi conceptione per Spiritum Sanctum foecundatum et in corpus humanum statim efformatum est. Si autem in conceptione naturali matri insuper aliqua efficientia in foecundatione tribuenda sit, idem hic influxus efficiens B. Virginis adscribendus est. Itaque quod quaevis mater in naturali generatione filii praestat, id totum prae-

stitit in generatione humana Christi B. Virgo; imo vero plus praestitisse videtur, quia integram materiam, ex qua corpus Christi formaretur, ipsa sola praestitit, cum in generatione naturali corpus filii nascendi non ex solo ovo materno, sed ex hoc et semine virili efformari videatur. Porro sicut in generatione ad matrem non spectet, efficienter concurrere ad creationem et infusionem animae: ita ad maternitatem divinam non requiritur, ut ad unionem hypostaticam efficienter cooperata sit. Essentiale maternae generationi solum illud est, ut mater ex sua carne et sanguine personae filii generandi substantiam carnis praebeat et ea ratione naturam humanam communicet (cf. S. Thomas, comp. theol. c. 222.); id autem pleno et proprio sensu praestitit B. Virgo relate ad personam Dei Filii ex ipsa incarnandam, utpote quia corpus Christi ex sanctissimis B. Virginis sanguinibus per Spiritum in conceptione efformatum et animatum in eodem instanti etiam cum Filio Dei hypostatice unitum est. Qua ratione id quod conceptum et natum est in utero B. Virginis a primo instanti erat ipse Deus Filius factus homo. Ergo B. Virgo vera et naturalis Dei mater est.

34. *Itaque in forma responderi potest*: *D.* maj.: B. Virgo eatenus mater Dei est, quatenus ex se contulit ad unionem hypostaticam Verbi cum humana natura carnem materno modo praebendo, quae uniretur, adeoque hoc modo conferendo, ut Deus fieret homo *c.*; quatenus necessario efficienter concurrit ad unionem hypostaticam constituendam *n.*; *cd.* min.: B. Virgo nihil ad eandem unionem contulit efficienter *c.*; ad eandem non contulit Deo Filio carnem praebendo, qua homo fieret *n.* Et quidem ad eam Filii Dei humanam generationem carnem per se non per accidens praebuit adeoque vero et proprio sensu mater Dei est. Quae cum ita sint, frustra aliqui theologi ad solvendam difficultatem statuerunt, B. Virginem supernaturali virtute ad ipsam unionem hypostaticam efficiendam concurrisse; ejusmodi enim influxus efficiens ad maternitatem divinam neque requiritur; neque ad eam conferret, utpote qui instrumentaliter non autem per modum generationis fieret: neque tandem in se possibilis

apparet. — Nihilominus objectio adhuc urgeri vel instaurari posse videtur:

3) Aliae matres ovum maternum foecundandum activo generationis principio exhibentes simul cum hoc exigentiam ponunt, ut anima foetui proportionata oriatur; B. Virgo autem exigentiam nullam posuit, ut foetui concipiendo persona Dei Verbi uniretur atque ita subjectum generationis esset Deus-homo; ergo non idem praestitit relate ad Deum Verbum incarnandum, quod aliae matres relate ad filios suos praestant. — *R.* Imprimis considerandum est, exigentiam infusionis animae ad foecundationem demum subsequi atque ex ea oriri; atque haec exigentia aeque per foecundationem supernaturalem, quam per naturalem exstat. Neque vero requiri videtur, ut B. Virgo exigentiam posuerit ipsius unionis hypostaticae: quia materna generatio in sola communicatione naturae consistit alicui hypostasi facta, sive haec sit naturae connaturalis sive supernaturalis; natura enim tum connaturaliter tum supernaturaliter subsistere potest. Ceterum si ad generationem maternam spectat, ut ex parte matris aliqua exigentia procedat, ut haec determinata persona subjectum generationis exstet, etiam *ex parte B. Virginis non unam exigentiam exstitisse dicendum est, ut subjectum suae generationis ipse Deus Filius esset.* Etenim *primo* ipsa consensum suum solum dedit in virginalem conceptionem, cujus subjectum Deus Filius esset. Scilicet angelo mysterium incarnationis hoc modo perficiendum annuntianti respondit: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum* (Luc. 1. 38.); atque tum demum in eodem instanti facta est conceptio Salvatoris. *Secundo* B. Virgo etiam meruisse videtur, ut congrue posset esse mater Dei" (S. th. 3. p. q. 2. a. 9. ad 3.). *Tertio* conceptio erat supernaturalis atque ab ipso Spiritu Sancto tamquam principio activo processit; quare nisi exigentia, saltem convenientia summa erat, ut subjectum ejusdem Deus esset. Quod satis clare ipsa scriptura innuit dicens: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* (Ibid. 35.). *Quarto* denique dici potest,

B. Virginem, cum per suum concursum ad conceptionem sicut ceterae matres, exigeret infusionem hujus determinatae animae, exegisse etiam, ut fructus conceptionis esset Filius Dei, quia scilicet individua anima Christi natura prius cum Verbo divino quam cum corpore unita est. Itaque recte omnino et vere asseritur, B. Virginem non unam posuisse exigentiam, ut fructus suae conceptionis esset Deus Filius. Quare in argumento facto minor simpliciter neganda est.

36. *4) Notatio quaedam generalis ad solvendas etiam alias objectiones.* — Quae insuper contra divinam B. Virginis maternitatem factae sunt vel fieri possunt difficultates, ex iisdem principiis modo adhibitis omnes facile solvuntur. Imprimis autem semper considerandum est, generationis subjectum, in quod ultimo tendit, esse personam filii, utpote quae generari dicitur. Et hoc quidem valet pro duplici respectu, sub quo maternitas vel filius generatus relate ad matrem considerari potest.

37. *Primo* scilicet maternitate refertur mater ad filium tamquam fructum ex sua carne formatum et procedentem, qui connaturali exigentia anima a Deo creata et infusa completur atque in ratione hominis et personae constituitur. Iam sub hoc respectu influxus maternus in ipsam personam Filii tendere et terminari intelligitur. Itaque etiam B. Virgo eadem ratione ad personam Christi Filii sui refertur; persona Christi autem est persona divina ipsius Verbi; ergo B. Virgo maternitate sua ad ipsam divinam Verbi personam referri intelligitur. Revera enim fructus supernaturali Spiritus Sancti obumbratione ex ipsa et in ipsa formatus exigentia connaturali, ut supra expositum est, vel ex voluntate Dei atque ipsius quoque B. Virginis non subsistentia naturali et creata, sed divina ipsius Verbi complendus erat et statim completus est; quare influxus maternus B. Virginis in ipsam personam Verbi divinam tendere et terminari manifesto intelligitur. Ergo vere et proprie B. Virgo mater Dei est.

Secundo vero idem magis adhuc apparet, si paulo aliter vel sub alio respectu materna generatio vel filius relate ad matrem consideratur. Nimirum cum homo sit spiritus ma-

teriae quodammodo infusus vel habens carnem, et cum in generatione hic spiritus a Deo creetur et foetui a matre ex carne sua formato infundatur, filius generatus concipi potest tamquam a Deo datus matri, quae ex sua parte eundem sua carne induat vel eidem naturam humanam communicet. In qua consideratione tum relatio personalis inter matrem et filium tum distinctio inter terminum formalem generationis i. e. naturam communicatam et subjectum generationis i. e. personam hominis generati perspicue apparent necnon evidens est, generationem ex formali sua ratione directe tendere et terminari in personam ut talem. — Porro maternitati sub hoc respectu consideratae tamquam Filius B. Virginis primo loco et directe apparet persona ipsius Dei Filii; nam ipse a Deo B. Virgini datus et ab eadem carne sua vestitus est; atque adeo totus influxus B. V. directe et formaliter tendit et terminatur in personam ipsius Dei Filii. Et hoc eo magis dicendum est, quia, cum generatim persona subjectum generationis sit, persona filii B. Virginis pure vel adaequate divina est, utpote quae sola divinitate cum relatione Filiationis aeternae, nullo autem modo humanitate assumpta in ratione personae constituitur. Quare in hac praesertim consideratione filius Mariae Virginis non adeo ut Deus-homo, quam ut purus Deus apparet; et propterea B. Virgo non tantum Dei hominis, sed directe ipsius Dei Filii vel Verbi mater est; et quidem mater ejusdem est non tantum materialiter quodammodo vel per communicationem idiomatum, quia homo Christus ex ipsa generatus Deus est, sed formaliter, quia scilicet ipse Deus Filius ex ipsa secundum naturam humanam generatus est. Cum quibus consonat, quod B. Virgo a SS. Patribus necnon ab ipsa ecclesia in suis orationibus et canticis non ut mater Dei-hominis sed ut mater Dei, Dei Filii, Verbi celebratur et salutatur.

2. *Num in Christo sicut est duplex nativitas, ita etiam duplex sit filiatio vel filiationis relatio?* — Christus evidenter duplicem habet nativitatem, alteram aeternam ex Patre, alteram ex Virgine Matre temporalem: quare vere et realiter est Filius Patris necnon vere 38.

et realiter Filius Matris est. Sed quaeritur num sicuti ad Patrem dicit realem relationem Filii, ita etiam ad matrem reali relatione filiationis referatur; etsi sane per solam filiationem aeternam in ratione personae constituatur, hanc vero alteram ad matrem in tempore solum accedentem accipiat. Circa hanc quaestionem duae sunt diversae sententiae; prior est S. Thomae, S. Bonaventurae et aliorum, qui solam relationem Filiationis ad Patrem realem, illam vero ad B. Virginem matrem rationis esse ponunt; altera est Scoti, Scotistarum et aliorum, qui etiam alteram relationem scilicet ad Matrem realem esse defendunt.

39. *1. Probabilior autem et verior videtur esse sententia S. Thomae, qui totam rem sic egregie exponit:* „Quidam attendentes ad causam filiationis, quae est nativitas, ponunt in Christo duas filiationes, sicut et duas nativitates. Alii vero attendentes ad subjectum filiationis, quod est persona vel hypostasis Filii, ponunt in Christo unam tantum filiationem, sicut et unam hypostasin vel personam. Unitas enim relationis vel ejus pluralitas non attenditur secundum terminos, sed secundum causam vel subjectum . . . Manifestum autem est, quod non una et eadem nativitate Christus est natus ex Patre ab aeterno et ex matre ex tempore; nec nativitas est unius speciei. Unde quantum ad hoc, oporteret dicere, in Christo esse diversas filiationes, unam temporalem et aliam aeternam. Sed quia subjectum filiationis non est natura aut pars naturae, sed solum persona vel hypostasis, in Christo autem non est hypostasis vel persona nisi aeterna; non potest in Christo esse aliqua filiatio, nisi quae sit in hypostasi aeterna. Omnis autem relatio, quae ex tempore de Deo dicitur, non ponit in ipso Deo aeterno aliquid secundum rem, sed secundum rationem tantum . . . . et ideo filiatio, qua Christus refertur ad matrem, non potest esse realis relatio, sed solum secundum rationem. Et sic quantum ad aliquid utraque opinio verum dicit. Nam si attendamus ad perfectas rationes filiationis, oportet dicere duas filiationes secundum dualitatem nativitatum; si autem attendamus ad subjectum filiationis, quod non potest esse nisi suppositum

aeternum, non potest in Christo esse realiter nisi filiatio aeterna. Dicitur tamen relative filius ad matrem relatione, quae cointelligitur relationi maternitatis ad Christum; sicut etiam Deus dicitur Dominus relatione, quae cointelligitur reali relationi, qua creatura subjicitur Deo; et quamvis relatio domini non sit realis in Deo, dicitur tamen realiter Dominus ex reali subjectione creaturae ad ipsum. Et similiter Christus dicitur realiter filius Virginis matris ex relatione reali maternitatis ad Christum" (S. th. 3. p. q. 35. a. 5.). Neque contra dici potest, cum duae sint nativitates, duas etiam necessario esse relationes; nam alia est ratio nativitatis et alia filiationis, cum haec scilicet relationem dicat, illa autem potius ad praedicamentum passionis spectet. Apposite iterum *S. Thomas:* „Nativitas temporalis causaret in Christo temporalem filiationem realem, si esset ibi subjectum hujusmodi filiationis capax, quod quidem esse non potest; ipsum enim suppositum aeternum non potest esse susceptivum relationis temporalis ... Nec potest dici, quod sit susceptivum filiationis temporalis ratione humanae naturae, sicut etiam et temporalis nativitatis, quia oporteret naturam humanam aliqualiter esse subiectam filiationi, sicut est aliqualiter subjecta nativitati; cum enim Aethiops dicitur albus ratione dentis, oportet quod Aethiopis dens sit albedinis subjectum. Natura autem humana nullo modo potest esse subjectum filiationis, quia haec relatio directe respicit personam." (Ibid. ad 1.),

2. *Verum etiam alteri sententiae aliqua probabilitas convenire videtur,* ut vel ipse S. Thomas concedit et ratione adducta declarat. Insuper pro eadem sententia etiam hoc argumentum adduci posse videtur: Relatio omnis, in qua tum subjectum tum fundamentum tum terminus reales sunt, et ipsa necessario realis est; atqui in filiatione temporali Christi ad B. Virginem matrem illa omnia obtinent; ergo realis relatio est. Reale autem fundamentum sane intelligitur esse ipsa generatio ex B. Virgine vel natura humana ea generatione accepta. Quod autem maxime contra urgetur, scilicet relationem filiationis afficere ipsam personam, in persona autem aeterna et divina non posse esse relationem temporalem, forte alteram **40.**

sententiam non necessario excludit; scilicet responderi posse videtur cum aliqua distinctione, personam esse quidem subjectum denominationis, non autem subjectum inhaesionis. Quo posito relatio filiationis temporalis non magis forte cum immutabilitate et independentia divina pugnat, ac aliae denominationes reales temporales ut v. g. Deus natus, passus, mortuus est. (cf. Toletus, in s. th. 3. p. q. 35. a. 5.). Nihilominus filiatio magis directe personam afficere videtur, quam nativitas, passio, mors et alia hujusmodi, ut patet etiam ex altera generationis consideratione supra subjecta; atque ideo sententia S. Thomae magis probabilis manere videtur.

41. *3. Ceterum caput rei in tota quaestione est*, ut ex una parte omnis mutabilitas et dependentia et imperfectio a persona divina in se spectata arceatur, ex altera autem parte vera et realis nativitas Dei Filii ex B. Virgine, proinde vera et realis divina ejusdem B. Virginis maternitas necnon vicissim vera et a nostra cogitatione independens Filiatio Verbi relate ad B. Virginem-Matrem illaesae maneant; haec autem in utraque sententia salvantur. (cf. quod relationes Dei ad extra attinet tractat. de Deo uno th. 14. coroll. 4.).

42. ***3. De terminis*** θεοτόκος, ***Deipara aliisque brevis notatio.*** — Petavius (l. 5. c. 15.) et post ipsum alii theologi animadvertunt, terminum graecum θεοτόκος et terminum latinum Deiparam non esse ita synonymos, ut eundem prorsus sensum fundant; cum scilicet τίκτειν significet gignere atque de matre potius quam de patre adhibitum (cf. Cyrillus, Thesaur. l. 6.) tum conceptionem prolis tum editionem ejusdem in lucem comprehendat, vocabulum parere autem nonnisi alterum dicat i. e. editionem in lucem. Quare addunt, etiam Nestorianos eorumque sequaces facile concedere posse, B. Virginem Deiparam esse, ad quod scilicet sufficiat Verbum divinum cum homine concepto accidentaliter tantum unitum per B. Virginem solum transiisse: atque addi potest, B. Virginem etiam magis adhuc Deiparam dici posse pro eo casu, quod Deum Verbum quidem pepererit, sed conceperit naturam humanam connaturaliter subsistentem

quae deinceps solum ante partum a Verbo assumpta sit. Et haec quidem vere dici videntur, si tantum etymologia illorum vocabulorum prae oculis habeatur; si autem usus loquendi spectetur, profecto parere ex parte mulieris supponit et includit τό concipere et ideo sub hoc respectu termini θεοτόκος et Deipara omnino aequipollentes esse censenda sunt: nam more feminarum, quae filios suos non solum in lucem edunt, sed etiam concipiunt, B. V. credenda est Christum Dei Filium peperisse. Nihilominus ab ecclesia sapienter sane terminus θεοτόκος ut tessera fidei sancitus est, ut omnis tergiversatio haereticorum praecluderetur: cum scilicet hic terminus etiam mere ethymologice spectatus utrumque includat scilicet tum conceptionem tum partum. Idem autem valet etiam de aliis terminis, quae usu communi in ecclesia adhibentur, ut sunt: Dei genitrix, Mater Dei, θεομήτηρ, θεογεννήτωρ.

Corollaria duo.

1. *Maternitas divina multipliciter conveniens vel congrua apparet.* — SS. Patres atque veteres imprimis theologi non solum ipsam veritatem vel existentiam maternitatis divinae validissime demonstrarunt et defenderunt, sed etiam studiose inquisierunt et ingeniose explicarunt, cur Filius Dei ad humanum genus redimendum incarnandus potius per naturalem generationem ex matre nascendo, quam alio modo, ut v. g. humanam aliquam naturam individuam simpliciter creando et sibi appropriando homo fieri voluerit. Plures autem vel multiplices rationes exhibuerunt, ex quibus conveniens vel congruum apparet, ut Filius Dei incarnandus potius ex matre humana per naturalem generationem, quam aliunde, humanam carnem assumeret. Cum autem ea ratione convenientia divinae maternitatis asseritur, nullo pacto neque supposito incarnationis decreto necessitas ulla ejusdem intelligenda est; verum eandem divinis perfectionibus et generi humano congruam atque fini praestituto insigni modo proportionatam esse significatur. Atque ita re intellecta palam est, ejusmodi rationes convenientiae multum juvare posse 43.

ad maternitatem divinam necnon ipsam divinam redemptionis oeconomiam totam, in qua omnia harmonice conspirant, profundius et clarius intelligendam. Quare potiores rationes convenientiae, quibus divina maternitas commendatur, a Patribus et theologis antiquioribus assignatas, colligere et uno conspectu ipsis eorundem plerumque verbis exhibere praestat:

44. *1) Huc spectant rationes, quibus S. Thomas et S. Bonaventura conveniens fuisse ostendunt, ut Filius Dei humanam naturam ex nostro genere assumeret.* — Etenim haec duo: naturam humanam ex nostro genere assumere atque ex matre nasci in concreto saltem se includunt vel idem dicunt. Itaque *S. Thomas* rem sic declarat: „Sicut Augustinus dicit in 13. de Trinit. cap. 18. in princ., poterat Deus hominem aliunde suscipere, non de genere istius Adae, qui suo peccato obligavit genus humanum; sed melius judicavit ut de ipso quod victum fuerat genere assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum." Et hoc propter tria: *Primo* quidem, quia hoc videtur ad justitiam pertinere, ut ille satisfaciat, qui peccavit. Et ideo de natura per peccatum corrupta debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura. *Secundo,* quia hoc etiam pertinet ad maiorem hominis dignitatem, dum ex illo genere victor diaboli nascitur, quod per diabolum fuerat victum. *Tertio,* quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur, dum de natura corrupta et infirma assumpsit id, quod in tantam virtutem et dignitatem est promotum." (S. Th. 3. p. q. 4. a. 6.).

45. *S. Bonaventura* autem easdem partim, partim autem alias rationes exhibet: „Absque dubio Dei filius potuisset carnem assumere aliunde quam de massa corrupta, sive aliunde quam ex his, qui processerunt de genere Adam; magis tamen congruebat, quod de genere Adae carnem assumeret. Et licet multae sint congruentiae, quae nos latent, juxta multiformitatem sapientiae Dei, tamen secundum verba et dicta Sanctorum quatuor possunt rationes congruentiae assignari: *Prima* est propter conservandam rectitudinem justitiae, ut videlicet ejusdem generis esset satisfactor et

praevaricator. Nam si alterius generis esset, non attribueretur eidem generi satisfactio, cui et offensio, ac per hoc non recte servaretur justitiae rectitudo, quae ab illo genere requirit emendam, in quo reperit praecedentem offensam. *Secunda* est propter manifestandam dulcedinem misericordiae, ut videlicet ipse Dominus, qui ab homine contemptus fuerat tamquam ab adversario et inimico, ipse idem generi humano uniretur in Christo in unitatem personae, in quo manifestatur mira Dei condescensio, in hoc quod ipse genus humanum sibi inimicum conjungere voluit in indissolubile vinculum, juxta illud, quod dicitur (Rom. 5, 6.) *Commendat autem caritatem suam* etc. *Tertia* autem ratio est ad declarandam ordinationem divinae sapientiae, quae quidem ordinatio nullo potest infringi vitio. Decreverat enim Deus et ordinaverat, ut genus humanum totum multiplicaretur et disseminaretur ex uno, propter repraesentationem illius universalis principii, quod Deus est, nec hoc per peccatum infringi debuit: et ideo Christus, mediator Dei et hominum, homo verus, non aliunde, sed de massa totius generis humani debuit formari. *Quarta* vero ratio est ad conservandam dignitatem et altitudinem humanae naturae, quam Deus in tanta dignitate constituerat, ut nulli alii generi creaturae, sed soli Deo esset obnoxia. Si ergo non modicum est obnoxia Redemptori, decens est, ut Redemptor aut solum esset Deus, aut si haberet in se genus naturae creatae, hoc esset de genere illius massae, quae ortum habet a lumbis Adae. Propter has ergo rationes congruentiae, quae apparent manifeste, et a verbis Sanctorum habent firmitatem, concedendum est, quod non solum fuit congruum, quod Christus assumeret carnem de nostro genere ad reparationem humanae naturae, verum etiam hoc magis fuit congruum, quam quod alio modo facere potuisset." (In 3. d. 12. a. 1. q. 1.).

2) Item et propius huc spectant rationes, quibus 46.
S. Thomas directe probat decuisse, ut Filius Dei ex femina nasceretur ideoque matrem haberet. — „Licet Filius Dei carnem humanam assumere potuerit de quacunque materia voluisset, convenientissimum tamen fuit, ut de femina carnem

acciperet. *Primo* quidem, quia per hoc tota humana natura nobilitata est. Unde Augustinus dicit in lib. 83 QQ. q. 11.: ,Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, conveniens erat, ut foeminei sexus liberatio hinc appareret, quo ille vir de foemina natus est.' *Secundo,* quia per hoc veritas incarnationis adstruitur. Unde Ambrosius dicit in lib. de Incarnat. c. 6. circa med.: ,Multa in Christo secundum naturam invenies et ultra naturam; secundum conditionem etenim naturae in utero, foeminei scilicet corporis, fuit, sed supra conditionem virgo concepit, virgo generavit; ut crederes, quia Deus erat, qui innovabat naturam, et homo erat, qui secundum naturam nascebatur ex homine.' Et Augustinus dicit in epistola ad Volusianum 137. al. 3. parum ante med.: ,Si omnipotens Deus hominem ubicunque formatum non ex materno utero crearet, sed repentinum inferret adspectibus, nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum suscepisse ullo modo crederetur? Et dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit? Nunc vero ita inter Deum et hominem mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret.' *Tertio* quia per hunc modum completur omnis diversitas generationis humanae. Nam primus homo productus est ex limo terrae sine viro et foemina; Eva vero producta est ex viro sine femina. Alii vero nascuntur ex viro et femina. Unde hoc quartum quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex foemina sine viro" (S. th. 3. p. q. 31. a. 4.).

47. *3) Accedunt aliae insuper rationes plures pariter a SS. Patribus jam exhibitae.* — Et *primo* quidem sapientiae divinae necnon humani generis relevationi apprime consentaneum apparet, *ut diabolus, qui utrumque sexum vicerat, per utrumque etiam debellaretur,* ita ut liberatio non tantum utriusque sexus, sed etiam per utrumque fieret. Hoc autem egregie obtentum est per divinam maternitatem B. Virginis, qua scilicet primae Evae ad nostram ruinam cooperanti subrogata est altera Eva melior, redemptionis nostrae ministra.

Atque hanc miram et pulchram inter protoparentem Evam et B. Dei Genitricem oppositionem jam Irenaeus, Tertullianus, Iustinus et deinceps alii Patres notarunt et inculcarunt. Audiatur v. g. *Iustinus:* „Novimus per virginem Deum hominem factum esse, ut qua via initium orta a serpente inoboedientia accepit, eadem via etiam dissolutionem acciperet.“ (Dial. c. Tryph. n. 100.). Et *Augustinus:* „Accedit magnum sacramentum, ut quoniam per foeminam nobis mors acciderat, vita nobis per foeminam nasceretur, ut de utraque natura, i. e. masculina et foeminina victus diabolus cruciaretur, quoniam de ambarum subversione laetabatur. Cui parum fuerat ad poenam, si ambae naturae in nobis liberarentur, nisi etiam per ambas liberaremur“ (De agone christiano c. 22.). Necnon *Maximus:* „Parturit foemina salutem mundi: ut quae exstiterat fomes iniquitatis, fieret ministra justitiae, et per quam mors sibi in hunc mundum aditum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingressum“ (De Nativit. Dom. hom. 6.) cf. S. Bernardus, serm. 262.

Secundo cum ratione modo proposita cohaeret altera, 48 quod scilicet congruum apparet, *ut per incarnationem Redemptoris vel in ipsa uterque sexus honoraretur et elevaretur,* ne alter alteri invideret vel animo caderet. Id autem egregie obtinetur per maternitatem divinam; qua simul Beata Virgo in ordine salutis est mater viventium ab Adamo descendens, sicut Eva ex latere Adae formata mater omnium est quoad vitam naturalem. Apposite *Augustinus:* „Si vir existens, quod utique esse deberet, non nasceretur ex femina, desperarent de se foeminae, memores primi peccati sui, quia per foeminam deceptus est primus homo, et omnino nullam se spem habere in Christo arbitrarentur . . . Non creaturam damno, quam feci, sed peccata quae non feci. Uterque sexus videat honorem suum et uterque confiteatur iniquitatem suam, et uterque speret salutem. Decipiendo homini propinatum est venenum per feminam: reparando homini propinetur salus per feminam. Compenset femina decepti per se hominis peccatum generando Christum“ (Serm. 61. de diversis.). Et alibi: „Nolite vos ipsos contemnere viri; Filius Dei virum

suscepit; nolite vos ipsas contemnere, feminae; Filius Dei natus ex femina est" (De agone christiano c. 11.). Et iterum alibi: „Honor masculini sexus est in carne Christi; honor feminini sexus est in matre Christi. Vicit serpentis astutiam gratia Iesu Christi" (Serm. 190.). Et *S. Bernardus*: „Ambo (scilic. protoparentes), inquam, consolamini super filia et tali filia; sed illa amplius, de qua malum ortum est prius, cujus opprobrium in omnes pertransiit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir, quid causetur adversus feminam . . . Propterea curre Eva ad Mariam, curre mater ad filiam; filia pro matre respondeat; ita matris opprobrium auferat; ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si cecidit vir per feminam, jam non erigitur nisi per feminam" (Serm. 2. super *Missus est.*).

49. *Accedit tertio*, quod cum maternitate divina *plures harmoniae connectuntur, quibus incarnatio et redemptio resplendent.* Et *primo* quidem cum ex divinis personis altera sive Filius Dei incarnandus esset, hujus personae divinae proprietatibus divinis, quantum fieri potest, humanae proprietates respondeant conveniens est. Cum igitur persona secunda incarnanda aeterna generatione ex Patre procedat tamquam Filius Dei, etiam tamquam filius hominis ex matre temporali generatione procedere debuit, ut ea ratione proprietas Filiationis in utraque natura habeatur. *Praeterea* Filius Dei factus est homo, ut nos filios Dei adoptivos redderet atque fratres suos relate ad Deum Patrem atque cohaeredes: „*Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege . . . ut nos adoptionem filiorum reciperemus*" (Gal. 4., 4. 5.). Quod ut quam maxime congrue obtineret, ad familiam nostram humanam pertinere atque frater noster fieri voluit secundum naturam humanam ideoque ex matre nasci humana generatione: qua ratione primogenitus est inter multos fratres duplici ratione spectata scilicet generatione aeterna ex Patre et generatione temporali ex matre. Imo sub tertio adhuc respectu frater noster esse voluit, quatenus B. Virginem, quam ipse habet matrem secundum vitam naturalem humanam, nobis dederit matrem secundum vitam supernatu-

ralem, ita ut cum ipso eundem habeamus Patrem Deum necnon eandem matrem B. Virginem. *Denique tertio* ad filiationem illam divinam provehimur per incorporationem ad Filium naturalem, cum quo in unum corpus mysticum redigimur, cujus ipse caput est; jamvero haec unio intima corporis mystici cum suo capite supponit vel includit ipsam originis communitatem, qua Unigenitus Dei Filius unus est ex filiis Adae, naturali generatione ex matre natus atque ita primogenitus inter multos fratres. — Quae omnia jam a S. Patribus notata et ponderata sunt. Audiatur e. g. iterum *Augustinus:* „Unicus enim natura Dei Filius propter nos misericordia factus est filius hominis, ut nos natura filii hominis filii Dei per illum gratia fieremus" (De civit. Dei l. 21. c. 15.). Et *S. Bernardus:* „Puto quod me non potest spernere Christus, quia os de ossibus meis, et caro de carne mea. Nam major fraternitas est inter nos et Dominum, quam inter Dominum et angelos; etenim fraternitas angelorum est ex parte Patris tantum ratione creationis; inter nos vero et cum eo est fraternitas ex parte Patris et Matris: ex parte Patris ratione creationis (et imprimis ratione regenerationis spiritualis), ex parte Matris ratione susceptae humanitatis" (Serm. de annunt.).

Quarto Filius Dei factus est homo non solum, ut ho- **50.**
mines redimeret, *verum etiam ut eisdem exemplum vitae praeberet* adeoque practice viam ad coelestem patriam ostenderet. „Ut exhiberetur homini, inquit *Augustinus*, quem homo sequeretur, Deus factus est homo" (Sermo 22. de temp.). Quare ipse Christus omnes ad se sequendum et imitandum invitat, necnon Apostoli ad sequenda vestigia ejusdem instanter hortantur. Ut autem Christus congruo modo nobis exemplum vitae gerendae exhiberet, necesse sane fuit, ut quantum fieri potest, nobis in omnibus assimilaretur ideoque reipsa in omnibus nobis similis factus est absque peccato: In familia paulatim adolevit, diversa stadia vitae humanae infantiam, pueritiam, juventutem usque ad aetatem virilem pertransivit; in variis vitae conditionibus versatus est; vitam privatam et domesticam, absconditam

necnon publicam et manifestam degit: ubique autem et in omnibus atque semper perfectissimum exemplar omnium virtutum se exhibuit. Iamvero tolle Christi generationem ex matre, tunc disparent simul pleraque fere illa magnifica virtutum exempla; neque infantes jam divinum infantem, nec pueri divinum puerum, nec adolescentes divinum adolescentem, neque virgines et matres virginem-matrem, neque familiae christianae sacram familiam habent, quos ut pulcherrima virtutum exemplaria sequantur. Quare iterum apparet, quam congrue divinus Salvator ex matre nasci voluerit. Nam illa exempla virtutum homines efficacissime ad virtutes sectandos movere, per se manifestum est et apparet v. g. si humilis obedientia pueri Iesu adversus parentes consideretur. Apposite *S. Bernardus:* „Disce homo obedire; disce, terra, subdi: disce, pulvis, obtemperare. De auctore tuo loquens Evangelista: *et erat,* inquit, *subditus illis,* haud dubium quia Mariae et Ioseph. Erubesce superbe cinis! Deus se humiliat et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te praeponis auctori?" (Serm. sup. Missus est 1.).

51. *Denique quinto* maxima maternitatis divinae convenientia in eo quoque cernitur, *quod egregie apta est ad magnam erga Deum fiduciam nobis inspirandam et omnem vanum timorem expellendum.* Nam eo quod Dei Filius ex matre nasci et tamquam infans ad homines venire dignatus est, divinam majestatem timorem incutere solitam ita temperavit, ita condescendit ad nos, ita nobis appropinquavit et se assimilavit et amabilem reddidit, ut vix posset magis, adeoque nullum vano timori locum reliquit, sed potentissime hominum animos ad fiduciam provocavit. Quare angelus pastoribus nativitatem Christi annuntians: *Nolite, inquit, timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio"* (Luc. 2, 10. ss.). Et ab Isaia propheta futurus Salvator non tantum exhibetur in divina sua majestate tamquam: *admi-*

rabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, verum ad temperandam quasi hanc majestatem timorem incutientem etiam in statu infantis fiduciam inspirantis: *Parvulus natus est nobis et Filius datus est nobis* (Is. 9.). Atque SS. Patres quoque in hac mira Christi tamquam infantis in terra apparitione fontem fiduciae et consolationis cernunt. Audiatur iterum *Bernardus:* „Quid tu times, o homo, quid trepidas a facie Domini, quia venit? Venit non judicare, sed salvare terram ... Non venit cum armis, non puniendum sed salvandum requirit. Et ne forte dicas etiam nunc: *Vocem tuam audivi et abscondi me,* ecce infans est et sine voce. Nam vagientis vox magis miseranda est quam tremenda; aut si cui forte terribilis sed non tibi parvulus factus est; tenera membra virgo mater pannis alligat: et adhuc timore trepidas?" (Serm. 1. in N. D.). —

Verum sub alio adhuc respectu maternitas divina aptis- 52.
sima est, quae hominibus timorem vanum expellat et fiduciam augeat: nimirum *B. Virgo, quia mater Dei Salvatoris est, ideo etiam mater omnium fidelium merito esse creditur spectata salute et vita supernaturali,* ut inferius probatur. Quid autem magis cor humanum erigere et fiducia replere valet, quam hoc ipsum, quod Dei mater maternam sollicitudinem de nobis gerat, materna sensa erga nos foveat? Si scilicet in Christo Filio adhuc reverentiam incutiat et timeatur divina majestas, in matre pura relucet benignitas et misericordia materna. Apposite iterum *Bernardus:* „Fidelis plane et potens mediator Dei et hominum homo Christus Iesus; sed divinam in eo homines reverentur majestatem. Absorpta videtur in Deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio deificata ... jam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur enim locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria" (Serm. 262.).

Adhuc aliae rationes adduci possent, quibus convenientia maternitatis divinae aperitur: verum ex iis, quae exhibitae sunt, jam abunde patet, quam egregie congruat tum cum

divinis perfectionibus et exigentiis Dei Salvatoris, tum cum hominum salvandorum natura et indigentiis.

53. ***2. Divina maternitas vera tessera fidei est et omnium dogmatum principalium quodammodo compendium.*** – Cum catholicae fidei dogmata nequaquam acervum quemdam confusum vel molem indigestam doctrinarum, sed potius magnificum veritatum logice connexarum systema constituant, plures inter veritates fidei ad instar columnarum vel fundamentorum sunt, quibus aliae fulciantur plures. Ad ejusmodi veritates spectat maternitas divina B. Virginis, ut merito cum aliis theologis notat *Cardinalis Franzelin:* „Sicut in doctrina de SS. Trinitate professio τοῦ ὁμοουσίου a Patribus habita est veluti tessera orthodoxa fidei eo quod illa non minus distinctionem personarum adversus Monarchianos, quam unitatem naturae adversus Arianos exprimeret, ita praedicatio τῆς θεοτόκου in Ecclesia catholica magno studio frequentata est velut symbolum et compendium totius professionis de Dei Verbi Incarnatione" (De Verbo Incarnato th. 39. n. III.). Imo vero addi potest, fidem maternitatis etiam alias insuper veritates in se comprehendere, quod paucis ostendendum est. Itaque:

54. *1) Fides maternitatis divinae in se comprehendit principalia dogmata, quae ipsam incarnationem spectant.* — Quod obvia consideratione patet: Etenim *primo* continet dogma divinitatis Filii B. Virginis, D. N. Iesu Christi ideoque excludit omnes errores contra hoc dogma unquam propositos, ut haereses Cerinthianorum, Gnosticorum et Ebionitarum, Pauli Samosateni et Photini, Arianorum, Socinianorum, recentium Rationalistarum. — *Secundo* eadem fides comprehendit dogma verae humanitatis Christi, cum B. Virgo tamquam homo generatione non possit communicare nisi naturam humanam; quare professione maternitatis divinae pariter excluduntur omnes errores, quibus Christo denegata est vera humanitas: haeresis Doketarum sive Phantasiastarum, qui Christo verum et reale corpus denegarunt; haeresis Valentini Gnostici et Apellis et Paulicianorum et Anabaptistarum, qui Christo spiritale vel aethereum corpus adscripserunt; hae-

resis Arianorum illorum, qui Christo animam humanam denegarunt; necnon haeresis Apollinaristarum, qui animam solum rationis expertem non autem rationalem tribuerunt. — *Tertio* item fides maternitatis divinae includit dogma unitatis ontologicae Christi Dei-hominis et quidem unitatis hujus vigentis inde a primo instanti existentiae naturae humanae Christi, quia secus, ut demonstratum est, B. Virgo non esset mater Dei vero et proprio sensu; quare maternitate divina Nestorianismus et Rationalismus modernus directe exploduntur. — *Quarto* maternitas divina etiam includit vel supponit dualitatem naturarum Christi in unitate personae; quia si Christus non haberet duas naturas, divinam et humanam, sed unam compositam ex his duabus, non posset esse subjectum generationis humanae ideoque B. Virginem matrem non haberet; quare maternitate divina etiam quaevis haeresis monophysiticae species excluditur. — *Quinto* denique maternitas divina implicite continet etiam alias adhuc veritates, scilicet eas, quae ex iis, quae modo notatae sunt, logice consequuntur, ut dualitatem voluntatum in Christo, idiomatum communicationem, filiationem naturalem divinam Christi hominis, adorabilitatem humanae Christi naturae, sanctificationem ejusdem substantialem, libertatem humanam aliasque plures: quibus iterum varii errores excluduntur.

2) *Maternitatis divinae fides etiam alia dogmata im-* **55.**
plicite continet vel cum iisdem arcte connectitur. — Et *primo* quidem, si non abstracte tantum, sed in concreto prout in ipsa exhibetur annuntiatione (Luc. 1, 28. ss.) maternitas consideratur, vel ipsius fidei SS. Trinitatis summam continet; scilicet tum distinctionem personarum, quia mater est solius Dei Filii, non autem Dei Patris nec Dei Spiritus Sancti: tum consubstantialitatis et unitatis naturae trium harum personarum, quia secus non esset mater Dei sed alicujus entis inferioris; quare maternitas divina tum Sabellianismum tum Arianismum evidenter excludit. — *Secundo* ex maternitate divina tamquam ex radice aliae praerogativae B. Virginis tamquam ex communi radice progerminant: immaculata conceptio, virginitas, puritas a quovis peccato et a fomite peccati, summa

B. Virginis post Christum sanctitas, assumptio ejusdem cum anima et corpore in coelum, maternitas ejusdem erga nos spiritualis, cultus hyperduliae ipsi debitus aliaeque. Cum his autem B. Virginis-Matris praerogativis iterum aliae veritates arcto vinculo logico connectuntur, ut status justitiae originalis, peccatum originale cum sequelis suis, necessitas redemptionis, satisfactio Christi, necessitas et supernaturalitas gratiae, resurrectio corporalis hominum, ecclesia ipsa tamquam ectypus ipsius Dei Matris et aliae plures. Quare in recta et adaequata fide maternitatis divinae non solum ceterae praerogativae B. Virginis, sed etiam aliae pleraeque veritates fidei fundamentales cum Incarnatione et Trinitate implicite continentur et menti contemplanti sistuntur; necnon errores oppositi ut Pelagianismus, Naturalismus, alterius vitae et corporum resurrectionis negatio aliique excluduntur et reprobantur.

56. Quae cum ita sint, ipsa ecclesia merito B. Virgini gratulatur: *Gaude et laetare, virgo Maria, quia cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.* Nimirum haereses omnes interemit non tantum quatenus *lumen aeternum mundo effudit Iesum Christum Dominum nostrum,* sed etiam quatenus maternitas divina est velut tessera fidei vel symbolum et compendium totius professionis de Dei Verbi incarnatione necnon veritatum connexarum adeoque omnium dogmatum principalium fidei catholicae; qua ratione etiam errores contra fidem principales omnes per eandem maternitatem divinam excluduntur et reprobantur.

Articulus secundus.

De summa B. Virginis-Matris dignitate.

Thesis 2. **Dignitas Matris Dei summa est et vera quadam ratione infinita ita, ut excedat omnem dignitatem hominum atque angelorum necnon ceterorum donorum ipsi collatorum prima radix est.**

Declaratio.

Thesis argumentum et divisio. — Cum in 1. thesi maternitas divina B. Virginis magis physice considerata 1.
vel ejus existentia et veritas demonstrata et explicata sit, in hac altera thesi eadem maternitas magis moraliter vel in ordine dignitatis tractanda venit. Magni autem momenti est, ut eximia haec B. Virginis ex intima cum Deo unione derivata dignitas accurate et solide explicetur, utpote quae principium est aliarum praerogativarum ejusdem B. Virginis necnon fundamentum primarium cultus insignis, quem Christifideles et ipsa ecclesia eidem impendunt. Quare in 1. thesis parte dignitas Beatissimae Matris magis generatim et in se consideratur; in altera parte speciatim comparatur cum aliis dignitatibus supernaturalibus, ut cum gratia sanctificante; in tertia denique parte ostenditur, maternitatem divinam esse primam radicem aliarum praerogativarum omnium, quae Beatae Virgini collatae sunt.

Demonstratio.

1. p. Dignitas Matris Dei summa est et vera quadam ratione infinita.

1. Probatur ex SS. Patrum doctrina. —
SS. Patres et Doctores ex omni ecclesiae aetate et regione 2.
tam copiose et magnifice dignitatem Dei Matris laudibus extulerunt et celebrarunt, ut difficile sit, ex ingenti testimoniorum copia quaedam collecta exhibere, cum alia aliis pulchriora et praeclariora sint. Ut igitur modus et ordo aliquis

servetur, doctrinam Patrum ad aliquas generales sententias revocare praestat:

1) Ex sententia eorum dignitas B. Matris summa est ita, ut omnibus creaturis antecellat. — Audiantur prius *occidentales nonnulli:* Itaque *Ambrosius* mirabundus exclamat: „Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit?“ (De virg. l. 2.). — Et *Petrus Chrysologus* verba: *Benedicta tu in mulieribus* commentans declarat: „Vere benedicta, quae fuit major coelo, fortior terra, orbe latior: nam Deum, quem mundus non capit, sola cepit“ (Serm. 143. de annuntiat. B. V.). — *S. Gregorius M.* de monte Ephraim in 1. Reg. commemorato agens de Beatissima Matre perspicue declarat: „Potest autem hujus montis nomine beatissima semper virgo Maria Dei genetrix designari: mons quippe fuit, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit. Annon mons sublimis Maria, quae ut ad conceptionem Verbi aeterni pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit. Hujus enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons, domus Domini, in vertice montium.* Is. 2, 2. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes Sanctos refulsit . . . Nam mons in vertice montium Maria non fieret, si supra Angelorum altitudinem hanc divina fecunditas non levaret“ (Expos. in 1. Reg. c. 1. n. 5.). — Luculentus testis supereminentis dignitatis Dei Matris est *Petrus Damianus:* „Quid grandius, ait, virgine Maria, quae magnitudinem summae divinitatis intra sui ventris claudit arcanum? Attende Seraphim, et in illius superioris naturae supervola dignitatem et videbis, quidquid majus est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi“ (Serm. 44. in Nativit. B. V. M.). Et iterum Scripturae verba: *Electa ut sol* commentans declarat: „Hanc attende similitudinem, qua nulla in rebus mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Multo enim altius aliquid habet claritas solis quam lunae; quia

etsi illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat; hic vero lucidius incandescens ita sibi siderum et lunae rapit positionem, ut sint quasi non sint et videri non possint" (Serm. 40. in assumpt. B. V. M.). Item carmine celebrans B. M. V. assumptionem canit: „Te beatorum chorus Angelorum — Te sacri Vates et Apostolorum — Ordo praelatam sibi cernit unam — Post Deitatem" (Carm. 42. in assumpt. SS. Virg.). — *S. Anselmus* quoque supereminentem Matris Dei dignitatem praeclare celebrat: „Nihil est aequale Mariae; nihil nisi Deus majus Maria. Deus Filium suum, quem solum de corde suo aequalem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ipsum dedit Mariae: et ex Maria fecit sibi Filium non alium sed eundem, ut naturaliter esset unus idemque communis Filius et Mariae" (Orat. 52. al. 51. ad S. V. M.). Et iterum ad B. V. orat: „O sancta Dei genitrix, omnium creaturarum dignissima atque purissima." (Orat. 55 al. 54.) — Cum S. Anselmo consentit fere verbis quoque discipulus ejus et familiaris *Eadmerus:* „Nihil tibi, Domina, aequale, nihil comparabile est; omne enim quod est, aut supra te est aut subtus te est: quod supra te est, solus Deus est; quod infra te est, omne est, quod Deus non est. Ad tuam tantam excellentiam quis aspiciet, quis attinget" (De conceptione B. M. V. n. 14.). — Item *Bruno Astensis:* „Quaeris fortasse, qualis mater? Quaere prius, qualis Filius? Non habet Filius in hominibus parem, non habet mater in mulieribus similem. Speciosus ille prae filiis hominum; speciosa illa quasi aurora consurgens. Fecit ille matrem suam, quod nemo alius fecit; peperit illa filium et virgo permansit, quod nulla alia fecit" (In Matth. p. 1. c. 9.). — *S. Bernardus* quoque maternitatem divinam tamquam singularem prorsus atque eminentem dignitatem celebrat: „Ipsa est Virginis nostrae gloria singularis et excellens praerogativa Mariae, quod Filium unum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem" (Serm. de annuntiat.). — Item *S. Thomas* maternitatem divinam omnem aliam dignitatem excedere declarat: „*Mater ejus* i. e. Dei. Hic ostenditur ejus dignitas. Nulli enim creaturae hoc concessum est, nec homini nec angelo, ut esset pater aut mater Dei,

sed hoc fuit privilegium gratiae singularis, ut non solum hominis, sed Dei mater fieret, et ideo in Apocalypsi 12, 1. dicitur: *mulier amicta sole,* quasi tota repleta divinitate" (Expos. in Matth. 1, 18.). Et alibi brevissime simul et clarissime: „Mater Dei superior erat angelis quantum ad dignitatem, ad quam divinitus eligebatur" (S. th. 3. p. q. 30. a. 2. ad 1.). — Item *S. Bonaventura:* „Virgo existens Dei mater est, quod quidem ita tantae dignitatis est, quod non solum viatores, sed etiam comprehensores, non solum homines, verum etiam angeli eam revereantur quadam praerogativa speciali. Ex hoc enim, quod mater Dei est, praelatur ceteris creaturis et eam prae ceteris decens est honorari et venerari" (In 3. d. g. a. 1. q. 3.). Et alibi: „Si omnes creaturae, quantumcunque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent praesentes, omnes deberent reverentiam matri Dei" (In 1. d. 44.). Denique *S. Bernardinus Sen.:* „Status maternitatis Dei erat summus status qui purae creaturae dari possit" (De consens. Virg. serm. 2. a. 2. c. 1.). Ita Patres et Doctores occidentales de summa Beatissimae Dei Matris dignitate.

3. *Verum Patres orientales in praedicanda eadem dignitate iis non cedunt, imo vero eosdem fere excedunt.* Audiatur primo loco *Proclus,* qui primus contra Nestorianam haeresim insurrexit: „Nihil itaque in mundo ejusmodi est, qualis Dei genitrix Maria. Cunctas res creatas, o homo, cogitatione percurre, ac perspice, num quidquam sanctae Virgini ac Dei genitrici Mariae aequale sit, aut ipsa fortasse majus. Terram undique lustra, circumspicito mare, sedulo perscrutare aërem, coelos mente excute, invisibiles omnes virtutes animo expende ac vide, num aliud ejusmodi miraculum in universis creaturis invenire sit" (Oratio 2. alias 5.). — Similiter *Cyrillus,* validissimus Nestorii debellator: „Salve Maria, templum in quo Deus suscipitur, imo sanctum, quemadmodum clamat propheta David dicens: *Sanctum est templum tuum mirabile in aequitate* (B. 64. 6.). Salve Maria, pretiosissima res totius orbis . . . Salve Maria Deipara, propter quam Angeli choros ducunt, exsultant Archangeli tremendos hym-

nos emittentes" (Hom. 11. encomium in s. M. Deiparam.). — Magnifice celebrat beatissimam matrem *S. Sophronius Hier.*: „Quid excellentius esse possit hac gratia, quam tu sola divinitus sortita es? Aut quid ea jucundius ac splendidius excogitari potest? Omnia distant a miraculo, quod in te cernitur, omnia infra gratiam tuam jacent; secundas tenent omnia vel probatissima et claritate plane inferiori potiuntur. ***Dominus tecum,*** et quisnam tecum contendere ausit? Deus ex te, ecquis e vestigio tibi non cedat et non magis tibi primatum praecellentiamque gaudens tribuat?" (De Annuntiat. n. 21.). Et iterum ibidem: „Gaude o spectaculum prae mirabilibus omnibus summe admirandum. Quisnam tuum eloqui splendorem poterit? Quisnam portentum, quod ipsa es, enarrare verbis audeat? Quisnam magnificentiam tuam effari se posse confidet? Tu hominum exornasti naturam; angelorum ordines superasti; tu fulgores archangelorum obtenebrasti; tu sublimes thronorum sedes infra te ostendisti; tu altitudinem dominationum depressisti; tu principatuum ducatibus praecurristi; tu enervasti fortitudinem potestatum; tu ipsis virtutibus potentior virtus prodiisti; tu cherubim oculatissimum visum terrestribus oculis vicisti; tu seraphim sex alias habentium volatus animae pennis divinitus agitatis transvolasti; tu denique omnem creaturam longe transgressa es, quippe quae prae omni creatura enituisti puritate, et omnium creaturarum conditorem in te excepisti; ipsumque et sinu tuo gestasti, et genuisti, et sola ex omnibus creaturis Dei mater effecta es" (Ibid. n. 18.). Denique ex eadem Sophronii oratione haec adhuc considerentur: „Nemo sicut tu beatitate unctus est; nemo sicut tu sanctitate exornatus est; nemo sicut tu ad tantum magnificentiae est evectus; nemo sicut tu, purificante gratia praeoccupatus est; nemo sicut tu splendida luce est circumfusus; nemo sicut tu coelesti lumine refulsit, nemo sicut tu, prae omni celsitudine exaltatus est. Et merito quidem, nemo enim, sicut tu, ad Deum tam prope accessit; nemo sicut tu Dei donis ditatus est; nemo sicut tu Dei gratiae particeps fuit. Omnia vincis, quaecunque inter homines emineant; omnia superas munera,

quae effusa e Dei largitate in quoslibet dimanaverint. Plus enim omnibus inhabitantis Dei posessione ditescis" (n. 25.). — Similiter extollit B. Virginem-Matrem *S. I. Damascenus:* „O tu Maria, cujus non repellitur intercessio nec recusatur oratio, quae simplici divinitati proxima es, propius ad Trinitatem sanctam accedens, quae altitudine cherubicis turmis sublimior es et seraphicis agminibus excelsior" (Hom. 1. n. 7.). Et alibi similiter: „Salvesis sola Dei mater, coelestium et terrestrium et infernorum magnificum atque illustrissimum decus. Salvesis sola Dei mater, quae radio omni lucidior es et omni puritate purior. Salvesis, sola Dei mater, quae omni re venerabilior es, omnique auditione praestantior auditio. Salvesis, sola Dei mater, quae suavitate omni suavior es, omni re nobili nobilior et omnibus divitiis affluente locupletior" (Hom. 2. de annuntiat. 5. n. 6.). Atque ibidem paulo inferius: „Ave vere gratia plena, ave quoniam angelis tu sanctior es et archangelis praestantior. Ave gratia plena, quoniam thronis es admirabilior, dominationibus dominantior et majoris quam virtutes virtutis. Ave gratia plena, quae principatibus superior es et potestatibus sublimior. Ave gratia plena, quia speciosior es cherubim et augustior seraphim. Ave gratia plena, quae coelis excelsior es, et sole quem conspicimus purior. Ave gratia plena quia omnibus quae ab ortu solis sunt, nobilior es et regali potestate majori polles super omnia mortalis naturae regna . . . Ave igitur ave et iterum dico ave gratia plena, quoniam plenum coelum est et terra magnitudinis tuae" (Ibid. n. 8.). Denique aliis multis praetermissis una brevi sententia supereminentem beatissimae matris dignitatem exprimit ejusque rationem pandit: „Vere res omnes conditas dignitate antecelluisti; nam ex te sola summus ille opifex partum assumpsit, massae nostrae primitias" (Hom. 3. de V. M. nativitate). — Etiam *Ioannes Euboeensis* sublimem Matris dignitatem magnifice celebrat. Cujus rei specimen exhibent inter alia verba, quibus parentes B. Virginis gratulans alloquitur: „Vere beati ac ter beati, Ioachime et Anna, at millies beatior Davidis progenies et filia, e femore atque utero vestro progreditur. Vos enim

terra estis ipsa vero coelum; vos terreni, per ipsam vero terreni evadunt coelestes. Vere vos beati, quoniam rex ille gloriae, quem Moyses videre non potuit, filiae vestrae pulchritudinem concupivit. (Ps. 44, 11, 12.). Vos beati, Ioachime et Anna, quia rationalem paradisum genuistis. Ipsa enim non ab hominibus modo, verum etiam ab angelis, ab archangelis, a cherubim atque a seraphim beatissima praedicatur, quippe quae impollutis suis visceribus creaturarum omnium et paradisi auctorem gestavit" (Serm. in concept. S. Deiparae n. 12. ap. Hurter, opp. SS. PP. t. 34.). Et paulo inferius B. Virginem appellat „palatium prorsus admirandum adeo, ut ipsae quoque coelorum virtutes illud demirentur: atque omnem sane cogitationem opus superexcedit" (Ibid. n. 17.). — Item *Germanus* Constantinopolitanus magnifice Beatissimam Matrem exaltat. Scilicet ipso praedicante v. g. „super omnes attollitur atque omnibus Dei filia principatur" (Serm. in ingressum Sanctissimae Deiparae n. 1.). Deinde ibidem inferius sacerdotem exhibet, qui B. Virginem templum ingredientem ita consalutet: „Sede Domina: decet enim, regina cum sis et prae omnibus regibus terrae gloriosa, sublimi adeo loco sedere. Tibi, quae cherubico longe sublimior es thronus, sacrosancta ad inhabitandum sedes debetur. En tibi pro merito tamquam universorum reginae primam offero sedem" (n. 10.). Denique praetermissis aliis multis ipse orator eandem ita congratulans alloquitur: „Ave Maria, gratia plena, sanctior et coelis excelsior, et cherubim gloriosior et seraphim honorabilior, et super omnem creaturam venerabilior" (Ibid. n. 18.). — Denique testis sit etiam Ephraem Syrus, qui ita ad B. Virginem orat: „At, o virgo domina, immaculata deipara, domina mea gloriosissima, beneficentissima mea, coelis sublimior, multo purior solaribus splendoribus, radiis, fulgoribus" (Oratio ad B. V.).

2) Beatissima mater Dei ab iisdem Patribus et Doctoribus tamquam domina et regina hominum et angelorum necnon totius universi celebratur. — Cum hoc B. V. encomium in testimoniis allatis jam aliquoties occurrat, pauca addere sufficit. Itaque titulum illum B. Virgini tribuit ejusque 4.

rationem egregie aperit *Vulg. Athanasius:* „Si quidem is ipse, qui ex Virgine natus est, rex est et ipse Dominus Deus. Ejusque gratia, quae ipsum genuit, Regina, Domina et Deipara proprie et vere praedicatur“ (Serm. in annuntiat. Deip. n. 13. inter oper. Athanasii). — Item testis hujus tituli est *Petrus Chrysologus*, qui de verbis Angeli: *Ne timeas Maria* disserens ait: „Ante causam dignitas Virginis annuntiatur ex nomine: nam Maria hebraeo sermone, latine Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, ut dominatoris genitricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci et vocari Dominam ipsa sui germinis fecit et impetravit auctoritas“ (Serm. 142. de Virgin. annuntiat.). — Deinde *Ildephonsus Toletanus* ita ad Virginem-Matrem orat: „O Domina mea, dominatrix mea, dominans mihi, mater Domini mei, ancilla Filii tui, genitrix factoris mundi, te rogo, te oro, te quaeso, habeam spiritum Domini mei, habeam spiritum Filii tui, ut de te vera et digna sapiam, de te vera et digna loquar, de te vera et digna quaecunque dicenda sunt dicam. Tu enim es electa a Deo, assumpta a Deo, proxima Deo, adhaerens Deo, conjuncta Deo“ (Exordium libri de virginitate perpetua Mariae c. Iovinian.). — Similiter *S. I. Damascenus:* „Itaque gratia (nam hoc sonat Annae vocabulum) Dominam parit (id enim Mariae nomine significatur); quae vere omnis creaturae Domina facta sit, cum creatoris mater existit“ (De fide orthod. l. 4. c. 14.). Et ibidem paulo inferius: „Profecto vere et proprie Dei genetrix est et Domina omnibusque creatis imperat, quae ancilla materque simul exstitit creatoris.“ Et in sermonibus suis saepius B. Virginem ut Dominam et Reginam celebrat: sic v. g. in homilia 2. de annuntiat. 5. eam continuato sermone octies consalutat: „Salvesis o Domina Dei genetrix“ (n. 5.) necnon eandem ut „solam reginam“ alloquitur: „Salvesis, sola inter reginas regina, quae regum quidem filia es, universorum autem Regis Mater, ac religiosorum regum et imperatorum robur. Salvesis, sola inter reginas regina, vestitu deaurato circumdata ac varietate, veluti psalmorum cantor David exclamavit“ (Ibid. n. 7.). — Deinde *Tarasius* episcopus Constantinopolitanus Annam de filia sua

exultantem inducit: „Hanc lauda velut reginam universitatis rerum.“ — Audiatur etiam *Hugo Victor.* (Orat. in SS. Deip. Praesent. n. 8.): „Maria vere purpura fuit, quae super omnes Sanctos regali dignitate velut Domina mundi et Regina coeli effulsit“ (Serm. 46. in assumpt. B. M. V.). – Item *S. Anselmus* ad B. Virginem orat: „Mater es Salvatoris nostri, sponsa Dei, regina coeli et terrae et omnium elementorum. Te ergo requiro, ad te confugio, et ut me per omnia adjuves suppliciter peto“ (Orat. 47. ad B. V.). Aqtue iterum eandem deprecatur: „O regina et domina mundi, scala coeli, thronus Dei, janua paradisi, audi preces pauperum, ne despicias gemitus miserorum“ (Orat. 50. al. 54). — Similiter *Eadmerus* B. Virginem Dominam et imperatricem salutat: „Matrem suam te fecit ille rerum Dominus, creator et gubernator: rerum, inquam omnium, non solum intelligibilium, sed omnem intellectum transcendentium Dominus et factor te dominam et imperatricem constituit coelorum atque terrarum; et sic marium et omnium elementorum, cum omnibus quae in ipsis sunt, domina et imperatrix exstitisti et existis; et ut ita esses, in utero matris tuae a primordiis conceptionis operante Spiritu Sancto creabaris. Ita est, bona Domina, et gaudemus ita esse„ (De conceptione B. M. V. n. 11.). — Denique *S. Thomas* omnia una sententia comprehendit de Angelo Gabriele Deiparam salutante scribens: „Merito ergo Angelus reveretur beatam Virginem, quia mater Domini et ideo Domina est“ (Exposit. in salut. angelic.).

3) *Dignitas matris Dei ex sententia Patrum et Doc-* 5.
torum intellectum creatum omnem superat ideoque condigne celebrari non potest. — Etiam huc spectant aliqua testimonia jam allata; sed nonnulla addere juvat. Itaque audiatur primus *S. Cyrillus Alexandrinus:* „Ecquis hominum laudabilissimam illam Mariam pro dignitate celebrare queat? Ipsa et mater et virgo est; o rem admirandam! Miraculum hoc me in stuporem rapit“ (Hom. 4. Ephesi in Nestorium habita). — Idem praeclare urget *vulgatus Epiphanius:* „Quid dicam et quid proloquar? Quo pacto beatam praedicabo radicem?

Solo enim Deo excepto cunctis superior existit: natura formosior est ipsis Cherubim, Seraphim et omni exercitu angelico: cui praedicandae coelestis ac terrena lingua minime sufficit, imo vero nec Angelorum" (Homil. 5. de laudibus S. M. Deip.). — Similiter declarat *Basilius Sel.*: „Magnum Deiparae sacramentum omni ratione celsius est et oratione" (Orat. 39. in SS. Deip. annuntiat.); quare eandem orationem concludit: „O Virgo sanctissima, de qua qui cum laude graviterque dixerit, non ille quidem a veritate aberrabit, sed pro merito haud fecerit satis; superne nos respice, esto propitia." — Egregie iterum *S. Ioannes Damascenus*, qui de B. Virgine scribit: „Hanc non hominum lingua, non Angelorum mundo sublimiorum mens sat dignis laudibus efferre possit, per quam datum nobis est Domini gloriam perspicue contueri. Quid ergo? an quia eam pro dignitate laudare non possumus metu compressi conticescemus? Minime prorsus" (Hom. 5. de V. dormit. n. 2.). — Similiter *S. Germanus Constantinopolitanus* B. Virginem ita alloquitur: „Omnia tua, Dei genitrix, incredibilia miraque sunt: cuncta naturam excedunt, cuncta rationem et potentiam" (Hom. 9. in S. Mariae zonam.). Et alibi eandem appellat: „Spectaculum Angelorum intelligentia majus; omni praestantem miraculo, summeque novam hominum felicitatem" (Hom. 8. in dormit. B. M. V.). Denique iterum alibi eandem ita affatur: „Tu enim merito dixisti fore ut te omnes hominum aetates beatam dicant (Luc. 1, 48.), te, inquam, quam nemo condigne magnificare potest" (Serm. 1. in dormit. B. M. V.).

6. *Cum haec sit fides Graecorum de ineffabilibi Beatissimae Matris dignitate, non alia est ea Latinorum; cujus rei pauca documenta adducere satis erit.* Itaque *S. Ambrosius* declarat: „Beatam Virginem pro dignitate laudare nemo potest nisi solus Deus" (Lib. 1. de Virg.). — Similiter *S. Petrus Damianus*: „Cum vero beatissimae genitricis Dei laudes scribere volumus, quia nova et inaudita sunt, quae tractanda suscipimus, nulla invenimus verba, quibus ad haec digne exprimenda sufficere valeamus. Tollit enim facultatem

sermonis materia singularis. Quae enim lingua explicare sufficiat vel quae ratio humana non obstupescat, cum cogitare coeperit, quia creator oritur ex creatura, factor fit ex factura" (Serm. 45. in nativ. B. M. V. 2.). — Item *S. Bernardus*: „Quae jam poterit lingua, etiamsi angelica, dignis extollere laudibus virginem matrem, matrem non cujuscumque sed Dei?" (Serm. 4. de assumpt. B. M. V.). — Denique *S. Bernardinus Sen.*: „Tanti igitur fuit perfectio ejus, ut soli Deo cognoscenda reservetur" (Serm. 51.)

4) SS. Patres et imprimis Doctores scholastici Beatissimae Matris dignitatem expressis verbis infinitam esse declarant. — Iam in nonnullis testimoniis hucusque allatis dignitas B. V. aequivalentibus verbis infinita praedicatur; sed nonnunquam etiam expressis verbis infinita esse dicitur. Ita v. g. *I. Damascenus* declarat: „At infinitum Dei servorum et matris discrimen est" (Hom. 1. in dormit. B. M. V. n. 10). Et alibi Beatissimam Matrem ita alloquitur: „Ave Maria, quasi μυρία infinita, ob infinitam laudationum copiam. Quamvis innumera de te dixerit, numquam tamen argumenti dignitatem assecutus erit" (Homil. 4. in Nativ. B. M. V. n. 7.). — Similiter *Germanus Constantinopolitanus*: „Hodie ad promendas laudes Maria nos provocat, cujus praeconia utut in immensum quisquam congerat, nedum metam queat attingere, ne a longe quidem ad verum accessurus est; quippe cujus pulchritudo et sermonem omnem et omnem cogitationem infinito intervallo praetergreditur. Nam gutta illa coelestis, quae ab ea manavit, ad instar immensi pelagi magnalia ipsius esse palam fecit. Quocirca hujus quidem gratia et incomprehensibiles propter ipsarum infinitatem factae sunt ejus divitiae, nec deliciae, quae ab ea profluunt, exhauriri ullo modo possunt" (Hom. 3. in praesent. SS. Deiparae n. 3.). — Item *S. P. Damianus*, qui enumeratis tribus modis, quibus Deus praesens adest creaturis, quartum statuens pro B. Virgine declarat: „Quarto modo inest uni creaturae, videlicet Mariae Virgini, quia idem est quod illa (scilic. secundum carnem ex ea assumptam). Hic taceat et contremiscat omnis creatura, et vix audeat aspicere tantae dignitatis et di-

gnationis immensitatem. . . . Habitat in angelis Deus, sed non cum angelis, quia cum illis ejusdem non est essentiae. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua unius naturae habet identitatem" (Sermo 44. in nativ. B. M. V.). — Etiam *Eadmerus* immensitatem et incomprehensibilitatem dignitati Matris Dei adscribit, cum eandem sic alloquitur: „Quid amplius dicere possum, Domina mea? Immensitatem quippe gratiae et felicitatis tuae considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit" (De excellentia Virginis c. 8.). — *B. Albertus M.* quoque infinitam praedicat dignitatem Matris Dei: „Filius infinitat Matris bonitatem; omnis enim arbor ex fructu suo cognoscitur; unde si bonitas fructus bonificat arborem, infinita bonitas in fructu infinitam quandam adhuc in arbore ostendit bonitatem" (Mariale super *missus est* q. 197.). — Accedit ipse *S. Thomas* idem asserens: „Humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo, et beatitudo creata ex hoc quod est fruitio Dei, et beata Virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus; et ex hac parte non potest fieri aliquid melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo" (S. th. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4.). — Cum hoc S. Thomae testimonio ad verbum fere conveniunt, quae habet *auctor Speculi B. M. V.*: „Esse mater Dei est gratia maxima purae creaturae conferibilis. Ipsa est, qua majorem Deus facere non potest. Majorem mundum posset facere Deus, majus coelum; majorem matrem, quam matrem Dei non posset facere" (L. 10.). — Item *S. Bonaventura*: „Quoniam B. Virgo excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest, ideo non tantum debetur ei honor duliae, sed hyperduliae" (In 3. d. 9. a. 1. q. 3.). — Etiam *Bernardinus Sen.* consentit: „Si quis autem considerat virginei consensus ad tantum mysterium finalem terminum, clare intelliget, quod omnis dignitas et perfectio inclusa in hoc, quod est esse matrem Dei tam mente quam carne, comprehendatur in eo, quod quidem transcendit in merito in infinitum quidquid aliud sub Deo-homine cogitari vel dici potest" (Serm. 51.). — Doctoribus praecedentibus

innixus eidem doctrinae subscribit *Dionysius Carthusianus*: „Quam inaestimabilis est dignitas ejus, quae eam infinitae dignitatis peperit prolem? Certe non irrationabiliter asserunt quidam magni theologi, quod ratione hujusmodi maternae foecunditatis maternitatisve Dei Beatissima Virgo sit dignitatis quodammodo infinitae" (Serm. 1. de concept. B. M. V.). — Denique agmen doctorum terminet *B. P. Canisius* item eidem suffragio subscribens ejusque rationem breviter reddens: „Si enim, quo altior est Filius eo dignior mater censenda est, quis jure ambigat, quin Filii infiniti auctoritas et dignitas ad matrem ipsam redundet ac honorem immensum illi conciliet, quae sola cum Patre Filio aeterno dicere potest: *Filius meus es tu, ego genui te.* Ps 11, 7. De Maria Virgine l. 3. c. 13.).

2. ***Ex diversis ecclesiae liturgiis.*** — Cum ex 8.
dicto *Coelestini R. P.* „legem credeadi lex statuat supplicandi", liturgiae ecclesiasticae, utpote quae ipsam ecclesiam orautem sistunt, validissima argumenta dogmatica praebeat. Iamvero, quae est demonstrata Patrum et Doctorum fides de praecellenti dignitate Beatissimae Virginis-Matris, eandem exhibent diversarum ecclesiarum liturgiae, quippe quae eidem primum post Deum ipsum locum assignant atque eandem omnibus omnino creaturis etiam angelorum choris anteponunt. Quod aliquibus exemplis adductis ostendendum est. Itaque in *Liturgia S. Iacobi* sacerdos meminit: „praecipue sanctissimae, immaculatae, super omnes benedictae, gloriosae dominae nostrae, Deiparae semperque viginis Mariae" (Assemanus, codex liturgic. t. 5. p. 13.). Et Bantores ibidem concinunt: „Dignum est, ut te vere beatam dicamus Deiparam, semper beatam, et omnibus modis irreprehensam et matrem Dei nostri, honorabiliorem quam Cherubim et gloriosiorem quam Seraphim, quae sine corruptione Deum Verbum peperisti: te revera Deiparam magnificamus." — Item in *Liturgia alexandrina S. Basilii* sacerdos commemorationem facit: „praecipue vero sanctissimae, gloriosissimae, immaculatae, benedictionibus cumulatae, Dominae nostrae Deiparae et semper virginis Mariae" (Migne P. G. t. 31. col. 1635). —

Deinde in *Liturgia graeca S. Chrysostomi* diaconus orando quater repetit: „Sanctissimae, intemeratae, super omnes benedictae, gloriosae dominae nostrae, Deiparae et semper virginis Mariae cum omnibus Sanctis memoriam recolentes, nosmetipsos et mutuo et omnem vitam nostram Deo consecremus“ (Migne, P. G. t. 63. col. 907.). — Similiter in *Liturgia Armena* sacerdos celebrans orat: „Confiteor coram Deo et sancta super omnia benedicta Deipara et Ioanne praecursore etc.“ (Lebrun, explication de la messe t. 5. p. 84.). — Cum his omnibus liturgiis consentit praecipuae auctoritatis *Liturgia Romana;* jam in *libro sacramentorum,* qui sub nomine Gregori M. circumfertur, sed vel antiquior est et ad Gelasium I. refertur, sacerdos orans inducitur: „Communicantes et memoriam venerantes imprimis gloriosae semper Virginis Mariae, genetricis Dei et Domini nostri Iesu Christi; sed et beatorum apostolorum ac martyrum etc.“ (Migne, P. L. t. 78. col. 26.). — Accedit denique praeter alias multas orationes consimiles ad B. Virginem *stropha jam pridem in ecclesia adhiberi solita:* „Ave regina coelorum — ave domina angelorum — salve radix salve porta — ex qua mundo lux est orta — gaude virgo gloriosa — super omnes speciosa — vale o valde decora — et pro nobis Christum exora.“ — Atque haec ex diversis liturgiis deprompta documenta validissimam praebent demonstrationem supereminentis dignitatis Beatissimae Matris, utpote quae in iisdem ab ipsa ecclesia omnibus Sanctis necnon Angelis praefertur atque tamquam omnium domina atque regina celebratur. Neque quidquam argumento detrahit, si illae liturgiae perperam adscribantur auctoribus Patribus, quorum nomine inscribuntur, et posterioris sint aetatis; nam quidquid est, in omni casu vocem ipsius universalis ecclesiae sistunt, quae infallibilis veritatis praeco est.

9. ***3. Ex documentis Romanorum Pontificum.*** — Vestigiis insistentes SS. Patrum et Doctorum etiam Romani Pontifices praesertim recentioris aetatis Beatissimae Matri Dei summam dignitatem et praecellentiam prae omnibus creaturis attribuerunt. Ita imprimis *Pius IX.*, qui in litteris apostolicis *Ineffabilis Deus* de dogmatica definitione

immaculatae conceptionis statim ab initio praerogativas Matris Dei magnifice celebrat his verbis: „Ab initio et ante saecula (Deus) Unigenito Filio suo matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes Angelicos Spiritus cunctosque Sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur ille, de quo ipse procedit.“ Quibus verbis S. P. profecto claris verbis summam esse B. Virginis-Matris prae omnibus creaturis praecellentiam et dignitatem asserit atque tamquam radicem ejusdem divinam maternitatem exhibet. Atque in continuatione earundem litterarum eandem summam dignitatem iterum iterumque ad traditionem semper provocans exhibet et urget: sic loquitur de „praecelsa Dei Matris dignitate“: declarat eam „arctissimo et indissolubili vinculo cum Filio Dei conjunctam fuisse et esse“; dicit „Angelum Gabrielem sublimissimam Dei Matris dignitatem ei annuntiasse“; declarat „gloriosissimam Virginem, cui fecit magna qui potens est, ea coelestium donorum vi, ea gratiae plenitudine eaque innocentia emicuisse qua, veluti ineffabile Dei miraculum, imo omnium miraculorum apex ac digna Dei mater exstiterit et ad Deum ipsum pro ratione creatae na-

turae quam proxime accedens omnibus qua humanis qua angelicis praeconiis celsior evaserit"; atque iterum Beatissimam Matrem talem exhibet, „quae solo Deo excepto existit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu angelorum natura pulchrior, formosior et sanctior, cui praedicandae coelestes et terrenae linguae minime sufficiunt." Ita Pius IX.

10. Similiter *Leo XIII.* eandem fidem de sublimissima Dei Matris dignitate vel supponit sive implicite asserit vel expressis et apertis verbis declarat: sic v. g. eandem „reginam coelestem" necnon „augustam coeli reginam" appellat (Enc. *Diuturni temporis* 5. Sept. 1898) et alteram encyclicam hoc magnifico ejusdem encomio exorditur: „Augustissimae Virginis Mariae foveri assidue cultum et contententiore quotidie studio promoveri quantum privatim publiceque intersit, facile quisque perspiciet, qui secum reputaverit, quam excelso dignitatis et gloriae fastigio Deus ipsam collocarit. Eam enim ab aeterno ordinavit, ut mater Verbi fieret humanam carnem assumpturi: ideoque inter omnia, quae essent in triplici ordine naturae, gratiae gloriaeque pulcherrima ita distinxit, ut merito eidem Ecclesia verba illa tribuit: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam* (Eccl. 24, 5.) Ubi autem volvi primum coepere saecula, lapsis in culpam humani generis auctoribus infectisque eadem labe posteris universis quasi pignus constituta est instaurandae pacis atque salutis" (Enc. *Augustissimae Virginis* d. 12. Sept. 1897.). Atque iterum dicit, Deum ipsum ita dilexisse B. Virginem, „ut unam ex universitate rerum sublimius evectam amplissimisque ornatam muneribus sibi adjunxerit matrem" (Enc. *Magnae Dei Matris* d. 8. Dei 1892.). Denique clarissime summam B. Virginis dignitatem praedicat in epistola encyclica „de patrocinio S. Iosephi una cum Virginis Deiparae pro temporum difficultate implorando", his verbis utens: „certe matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri majus queat. Sed tamen, quia intercessit Iosepho cum Virgine Beatissima maritale vinculum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium, quin acces-

serit ipse, ut nemo magis" (Encycl. *Quamquam pluries* d. 15. Augusti 1899.).

Neque alia de Beatissima Virgine-Matre idea S. P. Pio X. **11.**
prae mente versata est in encyclicis litteris *Ad diem illum laetissimum*, quas occasione solemnium quinquagenariorum Immaculatae Conceptionis ad orbem catholicum misit. — Iamvero etsi hae Romanorum Pontificum magnificae de summa B. V. dignitate declarationes rationem definitionis ex cathedra non habeant, verumtamen tamquam enuntiationes magisterii authentici ordinarii de fide in ecclesia vigente testantur atque eidem summum auctoritatis pondus addunt.

4. Ex scriptura. — Magnifica traditionis de summa **12.**
beatissimae Virginis-Matris dignitate encomia in ipsa scriptura fundantur atque ex eadem confirmari possunt, etsi ut jam n prooemio dictum est, scriptura non multis nec fuse de B. Virgine nos edoceat; etenim quae refert, etsi pauca sint, gravissima tamen sunt atque foecundissima ita, ut omnia fere, quae de B. Virgine theologia docere potest, in iisdem virtute contineantur atque ex iisdem praesertim praelucente SS. Patrum inrerpretatione deduci queant. Revera SS. Patres quae de summa B. Virginis dignitate docent, in scripturae testimoniis fundare vel cum iisdem connectere solent, ut vel ex pluribus encomiis supra adductis patet. Imprimis autem res loci scripturae N. T. apti sunt, ex quibus confirmatio summae Matris Dei dignitatis derivetur: *primo* salutatio angelica (Luc. 1, 28 ss.), *secundo* praeconum S. Elisabeth (ibid. 1, 43), *tertio* canticum Magnificat ipsius B. Virginis (Ibid.). Iam hoc loco maxime vel unice ex salutatione angelica argumentatio derivatur et quidem duplici modo: primo proprietates quaedam salutationis ejusdem spectantur; secundo significatio verborum salutationis accuratiusinspicitur. Itaque:

1) Probatur ex quibusdam salutationis proprietatibus. **13.**
— Tres scilicet imprimis proprietates in hac angelica salutatione considerandae sunt: Et *primo* quidem divinam originem habet atque ipsius sacrosanctae Trinitatis nomine et auctoritate a principe coelesti ad B. Virginem directa est. Apposite *vulgatus Bernardus* sive *auctor Tractatus ad lau-*

dem gloriosae Virginis Mariae: „Haec salutatio in sacrario Trinitatis est digito Dei conscripta, cum in consistorio coelestis palatii a notatione majestatis sumpsisset originem, uni de fortissimis palatii ad deferendum est delegata" (Apud M. P. L. t. 154. col. 558.). *Secundo* eadem salutatio invenitur esse prorsus insolita, inaudita, nusquam comperta, soli B. Virgini reservata. Quod cum pluribus aliis Patribus notat *Ambrosius:* „Benedictionis novam formulam mirabatur, quae nusquam lecta est, nusquam ante comperta. Soli Mariae haec salutatio servabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quae sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiae repleretur auctore" (Expos. in Luc. l. 2. n. 10. cf. Origenes, hom. 5. in Lucam.). *Tertio* denique eadem salutatio a principe coelesti B. Virgini apprime officiose et insigni cum reverentia delata est, utpote qui non exspectans B. Virginis officium eandem prior salutavit. Ad rem *S. Thomas:* „Considerandum quod antiquitus erat valde magnum, quod Angeli apparerent hominibus; vel quod homines facerent eis reverentiam, habebant pro maxima laude. Unde et ad laudem Abrahae scribitur, quod recepit Angelos hospitio et quod exhibuit eis reverentiam. Quod autem Angelus faceret homini reverentiam, nunquam fuit auditum, nisi postquam salutavit beatam Virginem reverenter dicens Ave" (In salutat. Angelicam n. 2.). — Iamvero ejusmodi salutatio ab ipsa SS. Trinitate descendens, prorsus inaudita, insolita, nusquam comperta, soli Virgini exhibita sane postulat, ut haec ipsa Virgo a Deo electa sit ad dignitatem et excellentiam, quae singularis prorsus et sublimis sit et quae omnem aliam cujusvis creaturae dignitatem excedat; secus nulla esset convenientia vel proportio inter magnificam illam salutationem et B. Virginem, cui Dei, ipsius veritatis et sapientiae, nomine et auctoritate a legato divino officiose exhibetur. Hoc autem cogitare sane nefas est. Quare beata Virgo maternitate sua, utpote quae ei per Angelum annuntiabatur prae omnibus creaturis dignitate et excellentia incomparabiliter eminet. Merito igitur declarat *Beda Venerabilis:* „Quae salutatio quantum humana consuetudine inau-

dita, tantum est Beatae Mariae dignitati congrua" (Hom. 1. in festo Annuntiat.).

14. Quod argumentum ex salutatione angelica derivatum etiam explicat et urget *S. Thomas*: „Quod antiquitus non reverebatur hominem angelus, sed homo angelum, ratio est, quia angelus erat major homine et hoc quantum ad tria: *Primo* quantum ad dignitatem: ratio est, nam angelus est naturae spiritualis . . ., homo vero est naturae corruptibilis . . . Non ergo erat decens, ut spiritualis et incorruptibilis creatura reverentiam exhiberet corruptibili, scilicet homini. *Secundo* quantum ad familiaritatem ad Deum, nam angelus est Deo familiaris utpote assistens . . . Homo vero est quasi extraneus et elongatus a Deo per peccatum . . . Ideo conveniens est, ut homo revereatur angelum, utpote propinquum et familiarem regis. *Tertio* praeeminebat propter plenitudinem splendoris gratiae divinae; angeli enim participant ipsum lumen divinum in summa plenitudine . . . Et ideo semper apparet cum lumine. Sed homines, etsi aliquid participent de ipso lumine gratiae, parum tamen et in obscuritate quadam. Non ergo decens erat, ut homini reverentiam exhiberet, quousque aliquis inveniretur in humana natura, qui in his tribus excederet angelos: et haec fuit B. Virgo. Et ideo ad designandum, quod in his tribus excedebat eum voluit ei angelus reverentiam exhibere: unde dixit: *Ave*. Unde B. Virgo excessit angelos in iis tribus, et *primo* in plenitudine gratiae, quae magis est in Beata Virgine, quam in aliquo angelo; et ideo ad insinuandum hoc angelus ei reverentiam exhibuit dicens: *gratia plena;* quasi diceret: ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiae . . . *Secundo* excellit angelis familiaritate divina; et ideo hoc designans angelus dixit: *Dominus tecum;* quasi dicat: Ideo exhibeo tibi reverentiam, quia tu familiarior es Deo, quam ego; nam *Dominus est tecum* . . . Hoc autem verbum *Dominus tecum* est nobilius verbum, quod sibi dici possit. Merito ergo angelus reveretur B. Virginem, quia mater Domini et ideo Domina est . . . *Tertio* excedit an-

gelos quantum ad puritatem; quia B. Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis etc." (L. c.).

15. 2) *Ex ipsis verbis salutationis eorumque vi significativa.* — Notandum est imprimis, enuntiationes illas: *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* angeli esse non optantis, sed asserentis: praeterea considerandum est, magnifica haec encomia ab angelo procedere mysterium Incarnationis annuntiante adeoque B. Virginem ut electam Dei matrem spectare: quod ceterum ex ipso contextu patet, cum angelus addat: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum; ecce concipies in utero et paries filium* . . . Quibus positis jam solus obvius verborum sensus summam Matris Dei praecellentiam et dignitatem exhibere intelligitur. Si vero singula illa verba accuratius inspiciantur, res adhuc evidentius patet et dicendum est iisdem salutationis verbis beatissimam Matrem omnibus aliis creaturis longe praeferri. Scilicet illud *gratia plena* (κεχαριτωμένη), cum Angelus dicat: *ave gratia plena* non autem: ave Maria gratia plena, antonomastice ad instar nominis proprii usurpatur. Iamvero hic „modus loquendi locum non habet, nisi ubi quis ita excellit in eo genere rei, quae ipsi tribuitur, ut sit singularis et solus propemodum habendus hujusmodi: quemodmodum cum *Iustus* dicitur pro Christo et *Sapiens* pro Saaomone. Sic igitur et Virgo hic singulariter κεχαριτωμένη vocatur tamquam sola sit nullaque ipsi conferenda, quod ad gratiae excellentiam, dignitatem et copiam, ut certe non mulieres solum sed et creaturas omnes superabat. Profecto magno illam honore afficere mens Angeli, imo Dei fuit, dum suppresso nativo nomine nomen illi dedit a gratia solaque digna esset, quae Deo placeret" (Lucas Brug., Commentar. in Lucam c. 1, 28.).

16. Similiter autem ex sequentibus salutationis verbis: *Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* summa Beatissimae Matris dignitas et praecellentia intelligenda est: utpote quae verba prioribus tamquam apposita subnectuntur atque emphatice enuntiantur. Quare inusitato et speciali prorsus modo

ipsi soli proprio Deus cum ipsa esse exhibetur necnon benedictionibus divinis prae omnibus creaturis cumulata esse dicitur. Etenim termino *in mulieribus*, i. e. inter mulieres, comparatio vel praelatio B. Virginis non restringitur ad solas mulieres, sed ideo potius nominantur mulieres, ut Knabenbauer scite notat, „quia benedictiones ei cumprimis particulares, ut electio ad dignitatem matris Dei et quae inde consequuntur, conceptus salva virginitate, partus sine dolore, eam prae omnibus mulieribus ornant et extollunt“ (In h. l.), vel nonnisi in muliere inveniri possunt. — Itaque etiam significatione verborum salutationis angelicae considerata B. Virgo-Mater dignitate et praecellentia super omnes creaturas evehi intelligitur.

3) Confirmatur tota haec ex scriptura argumentatio ex 17.
SS. Patrum interpretatione. — Etenim ex SS. Patrum sententia, ut multis testimoniis adductis ostendit *Passaglia* (De immaculato conceptu n. 1075. ss.), salutatio angelica fuit „novus sermo: nova acclamatio, nova formula benedictionis, salutatio insolita, salutatio peregrina, humana consuetudine inaudita, nusquam lecta, nusquam antea comperta, soli Virgini reservata atque ejusdem dignitati unice congrua“ (Ibid. n. 1080). Quae cum verissime dicantur, cum eodem theologo legitime inferre possumus: „Jamvero novis sermonibus, novis acclamationibus novisque benedictionis formulis nova significantur; salutatione insolita, salutatione peregrina et humana consuetudine inaudita non alia quam insolita peregrina et supra humanam evecta consuetudinem efferuntur; salutatione nusquam lecta et nusquam antea comperta id ostenditur quod eximium sit et prorsus singulare; denique salutatione soli Virgini reservata atque ejusdem dignitati unice congrua contineri nihil potest quod commune sit quodque unius Virginis privum existimari non debeat. Cum igitur ex majorum doctrina tales sint notae quae angelicam salutationem distinguunt, et tales sint characteres, qui illam exornant, non perspicue minus quam necessario consequitur: nova esse, quae per ipsam significantur, esse insolita, peregrina, supra humanam consuetudinem evecta

eximia, plane singularia, cum aliis non communia atque unius Virginis priva" (Ibid.). Quare B. Virgo-Mater supra omnem creaturam ordinem evecta atque excellentia et dignitate praestare credenda est.

18. *Excipi potest* contra argumentationem, alteram prasertim, ex salutatione angelica institutam, verba: *Benedicta tu in mulieribus* non esse genuina, sed ex encomio B. Elisabeth in salutationem angelicam translata. — *R.* Etsi res ita se habeat, nihilominus argumentatio instituta in suo valore permanet, cum saltem a beata Elisabeth sub Spiritus Sancti inspiratione pronuntiata sint; insuper manet *tota vis verborum: ave gratia plena, Dominus tecum,* quibus per alia illa verba nihil substantialo additur.

19. ***5. Ex ratione theologica.*** — Hoc loco non adeo id agitur, ut nova argumenta proponantur, sed potius ut rationes in documentis positivis supra allatis contentae et indigitatae modo scholastico explicatius proponantur atque in form amredigantur.

1) Argumentum primum: Dignitas Matris Dei vera quadam ratione infinita est. — Etenim generatim sane dignitas matris per filii dignitatem commensuratur; vel quo major est dignitas filii, eo etiam matris dignitas major computatur; quare major v. g. regis matri, quam matri comitis dignitas competit: ratio est, quia propter internam matris et filii connexionem dignitas hujus in illam redundet necesse est. Atqui dignitas Filii Dei incarnati infinita est. Ergo etiam dignitas matris Dei infinite excedit dignitatem cujusvis alterius matris atque vera quadam ratione i. e. respective infinita esse dicenda est.

20. *Confirmatur argumentum primo,* quia analoga prorsus ratione a theologis etiam infinitas peccati in ratione offensae infertur: scilicet offensa crescit pro dignitate personae offensae et cum eadem modo quodam commensuratur: ergo offensa ipsius Dei quodam modo infinita est. Si autem quoad peccatum ut est offensa Dei, ejusmodi argumentandi ratio valeat, pariter vel imo multo magis quoad dignitatem Matris

Dei valeat necesse est, quia peccatum extrinsecus ex objecto solo infinitum est; dignitas autem matris Dei magis intrinsecus infinita merito dicitur. Etenim maternitas physice quidem non dicit formam aliquam supernaturalem, sed relationem tantum atque ut talis Filium tamquam terminum externum respicit; attamen morali aestimatione, dum peccatum extrinsecus tantum terminetur in dignitatem divinam, haec eadem dignitas divina ex Filio in ipsam matrem Dei redundat eamque intrinsecus afficere concipitur, ut quaelibet dignitas interna est personae, cujus est.

Confirmatur secundo: Ea persona vera quadam ratione 21.
infinitae dignitatis est, quae in ratione dignitatis ita divinam potentiam exhaurit, ut in eadem ratione nihil majus inveniri queat nisi ipse Deus et natura humana Deo Verbo personaliter propria. Atqui ex sententia SS. Patrum et Doctorum Matre Dei in ratione dignitatis nihil majus invenitur praeter Deum atque humanam Christi naturam; et ratio est, ut *S. Thomas* notat: „Quanto nobiliore comparatione aliquid in Deum refertur, nobilius est; et sic humana natura in Christo nobilissima est, quia per unionem comparatur ad Deum, et post Beata Virgo, de cujus utero caro Divinitati unita assumpta est“ (In 1. d. 44. q. 1. a. 3.). Ergo dignitas B. Dei Matris vera quadam ratione infinita est.

Excipi potest principium argumenti non videri verum, 22.
cum multorum virorum illustrium et dignitate insignium matres obscurae manserint eorumque dignitatem non participaverint. — *R. n.* paritatem, cum revera manifesta sit disparitas. Scilicet *primo* Filius Virginis-Matris secus ac viri illustres dignitatem suam non paulatim acquisivit vel non est factus Deus, sed Deus ab aeterno in tempore a Virgine-Matre conceptus et natus est, prout analoga ratione homo aliquis jam regia dignitate insignitus nasci potest; in quo casu certe dignitas hujus filii etiam in matrem ejusdem redundat. *Secundo* verum quidem est, Filium Virginis-Matris suam dignitatem a Matre non accipere; verum humanam suam existentiam ab eadem accepit et quidem ab eadem non tantum mere physice operante, sed libera voluntate consentiente;

in quo iterum aliqua analogia cernitur cum matre humana, cujus filius tamquam rex nascitur. *Denique* adhuc addi potest, B. Virginem quadam ratione meritis suis se divina in matrem Dei electione dignam reddidisse.

23. 2) *Argumentum secundum: Dignitas Matris Dei summa est propter arctissimam ejusdem cum Deo unionem.* — Etenim dignitas personae creatae eo major est, quo arctius conjuncta est cum Deo vel divina dignitate (cf. S. th. 1. p. q. 55. a. 3); per ejusmodi enim unionem dignitas divina in creaturam conjunctam redundat atque ab eadem participatur: quare humanitas Christi, utpote quae per unionem hypostaticam personae Verbi propria est, dignitatem habet simpliciter infinitam adeoque cum eo coadoratur. Atqui conjunctio cum Deo per maternitatem divinam arctissima est post unionem hypostaticam. Ergo dignitas matris Dei summa est et ad dignitatem humanitatis Christi proxima subsequitur aliasque omnes dignitates creatas longe excedit.

24. *Minor explicatur et probatur:* B. Virgo vere mater Filii Dei incarnati est; imo vero, cum Filio suo ipsa sola totam dederit humanam carnem et substantiam, quam ceteris filiis pater et mater conjunctim exhibent, etiam magis ipsam rationem matris habet quam aliae matres. Quare intima connexio et unio, quae generatim inter matrem et filium intercedit, etiam magis viget inter B. Virginem ejusque Filium Verbum incarnatum. Merito igitur *S. Thomas:* „Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam“ (S. th. 3. p. q. 27. a. 5.). Hinc veram habet consanguinitatem in gradu primo cum Verbo incarnato secundum naturam humanam atque cum ipsa divinitate affinitatem, ut declarat iterum *S. Thomas:* „Maxima enim reverentia debetur homini ex affinitate ad Deum (sicut Beatae Virgini, in quantum est mater Dei)“ (S. th. 2. 2. q. 103. a 4. 2.); ad quam affinitatem ad Deum rite intelligendam egregie facit haec notatio *Cajetani:* „Nota, quod junctio secundum carnalem consanguinitatem ad humanitatem assumptam a Verbo Dei vocatur in littera affinitas ad Deum, ita quod consanguinei Christi, in quantum homo,

sunt affines Deo ea ratione, qua Deus Deitatis est nomen, quae nulli est consanguinea: sed natura humana ab extra ad deitatis fines attingit, quasi uxor ab extra adveniens in thalamo uteri virginalis, et ideo genetrix illius affinis Deo constituta dicitur . . . Hyperdulia debetur soli Beatae Virgini, quae sola ad fines deitatis propria operatione naturali attigit, cum Deum concepit, peperit, genuit et proprio lacte pavit" (In commentar. in l. c.). Similiter alii doctores hanc unionem B. Virginis-Matris cum Deo Filio declarant et urgent, v. g.: *Auctor libri de assumptione B. M. V.* declarat: „Caro Iesu caro est Mariae et multo specialius quam Ioseph Iudae ceterorumque fratrum ejus, quibus dicebat (Gen. 37. 27.): *Frater enim et caro nostra est*" (Inter opera Augustini). Deinde *S. Bernardus:* „Sed cum Deus ita sit cum omnibus sanctis (sc. per cognitionem et amorem), specialiter tamen cum Maria: cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi jungeret ac de sua Virginisque substantia unum Christum efficeret" (Hom. 3. Super *missus est* n. 4.). Et *Hugo a S. Victore* aliis modis unionis cum Deo recensitis addit: „Matri inest soli per identitatem (i. e. carnis communicatae). Habitat enim in angelis, sed non cum angelis, cum quibus non est ejusdem essentiae" (Miscellanea, tit. 44.: De B. V. M. praeconiis). Item *Petrus Blessensis:* „Sunt . . divini spiritus multa Deo familiaritate conjuncti: sed beata Maria longe conjunctior est Filio suo, cum sint duo de carne una. Hanc praerogativam dedit Pater Filio suo, ut sit ei consubstantialis: hanc praerogativam habet mater, ut sit ei consubstantialis" (Serm. 33. in assumpt. B. M.). Fusius rem declarat *S. Bernardinus Senensis*. Scilicet postquam quinque B. Virginis excellentias declaravit, sextam statuit unionem ejusdem intimam cum Deo: „Sexta autem excellentia unitas nominatur. Quanto enim Beati magis uniuntur cum Deo, tanto gloriosiores fiunt in eo. Omnes enim creaturae simul junctae non tantum uniuntur Deo, quantum sola Beata Virgo" (Serm. 61. De superadmirabili gratia et gloria B. V. Matris Dei). Quod explicans adductis modis unionis cum Deo primo

per creationem, secundo per cognitionem, tertio per dilectionem, quarto per glorificationem, tamquam supremos addit quintum et sextum: „Quintus est unio materialis conceptionis, per quam B. Virgo facta est mater Dei, ita ut una atque eadem esset caro Virginis et caro Christi, non considerata in Christo divinitate ejus. Sextus autem est personalis unionis“ (Ibid.). Deinde rem demonstraturus declarat: „In quolibet . . . istorum quilibet alterum excedit in infinitum, quia inferior in sua specie infinities multiplicatus superiori aequiparari non valet.“ Ex quo principio denique relate ad B. Virginem concludit: „Ecce quod hujusmodi ascensus unionis in Deum ad maternalem conceptionem in infinitum excedit omnes alios praecedentes. Ex quo manifesto apparet, quod quantum in praesenti saeculo talis unio excessit alias uniones in gratia, tantum nunc excedit in gloria“ (Ibid.). — Denique *Suarez* breviter, sed egregie declarat: „Haec dignitas matris est altioris ordinis, pertinet enim quodammodo ad ordinem unionis hypostaticae; illam enim intrinsece respicit et cum illa necessariam connexionem habet“ (l. c. d. 1. s. 2. n.); et ratio manifesta est, quia cum mater et filius per generationem terminatam in substantiam filii cum invicem substantialiter connectantur et ad invicem necessario referantur, non possunt non pertinere ad eundem ordinem. — Iamvero ex his omnibus minor argumenti indubia est ideoque maternitatem divinam post unionem hypostaticam dicere unionem cum Deo intimam simul et altissimam certo constat. Quare dignitas maternitatis divinae proxime accedit ad dignitatem humanitatis Christi omnemque aliam dignitatem creaturarum longe excedit.

25. *Excipi posset*, hoc argumentum nimium probare, scilicet dignitatem Christi etiam in alios consanguineos imprimis in parentes B. Virginis redundare adeoque etiam hos sub hoc respectu maxime prae aliis hominibus eminere. — *R.* Dignitatem aliquam etiam in parentes B. Virginis redundare concedi potest; verum maxima differentia inter eos et Beatam Virginem notanda est; videlicet ipsi ex sua parte nihil ad hoc contulerunt, ut filia eorum B. Virgo ipsum Deum Filium

conciperet et pareret: quamvis enim B. Virgo carnem suam a parentibus suis habuerit, ex hac tamen carne non naturali ratione, sed supernaturali Spiritus S. obumbratione Filius Dei conceptus est. Quare ex parte parentum B. Virginis per accidens est, quod haec mater Dei facta sit, ideoque naturalis cognatio inter parentes B. Virginis et Deum Filium incarnatum deficit.

3. *Argumentum tertium*: *B. Dei mater totius mundi* **26.**
regina atque Domina est. — Etiam hanc Matris Dei praerogativam multum conferre ad ejusdem summam dignitatem apertum est: quare etiam Patres et Doctores, ut supra ostensum est, eandem praedicant et urgent. *Verum etiam ex ratione eadem praerogativa inferri potest*: Etenim Christus non solum ut Deus, sed etiam tamquam homo nativo jure supremus hominum atque angelorum rex atque totius mundi dominus est: atqui quae nativo jure filio conveniunt, haec etiam matri certa quadam ratione, quantum scilicet propria matris conditio patitur, merito adscribuntur; ergo B. Virgo tamquam mater Dei ut totius mundi Regina atque Domina salutanda est.

Minor probatur duplici principio apud juris onsultos **27.**
sollemni: *Primum est*, quod „quadam fictione juris naturalis filius nondum emancipatus non censeatur quid distinctum a patre aut matre“: quod principium in eo fundatur, quod filius a patre et matre procedit adeoque quodammodo pars eorum est. Quare merito pater et filius aut mater et filius tamquam unum juris dominii subjectum considerantur et bonorum communionem habere merito dicuntur. Non autem est, cur sub hoc respectu Filius Dei ejusque beatissima mater excipiantur, quia scilicet Filius Dei, quamvis nativo jure sane emancipatus, huic juri ultro cessit atque B. Matri subditus esse voluit: quare a fortiori eidem sua jura dominii communicasse atque eandem omnium reginam atque dominam constituisse credendus est. — *Alterum principium est*, quod principes „eadem Augustae privilegia tribuunt, quae ipsi habent“: quod de sponsa quidem vel uxore principis intelligitur, sed etiam in praesenti quaestione ap-

plicationem habet, cum B. Virgo non solum mater Filii Dei sit, sed ab antiquis Doctoribus non immerito certa quadam ratione tamquam sponsa Verbi consideretur atque saltem sponsae loco sit. Ceterum etiam sola maternitate considerata arctius quam ulla sponsa cum sponso ipsa cum Filio suo conjuncta est. Quare merito Filius ipsi reginae atque dominae universorum dignitatem communicasse credendus est, atque eo magis quidem, quia ipse ab eadem, cum stirpis Davidicae esset, cum sanguine regio jus haereditarium in regna Israelis acceptum habebat adeoque ad vices gratitudinis quodammodo adstrictus erat.

28. *Excipitur immerito contra hoc argumentum,* inter homines matri vel uxori regis supremum dominium vel regiam potestatem reipsa non convenire ideoque ipsum fundamentum argumenti deficere. — *R.* Saltem regia dignitas in matrem vel uxorem redundare dicenda est; potestas autem et dominium transeunt, quantum conditio matris vel uxoris patitur, ut supra dictum est. Quare hoc sensu animadvertit *Suarez*: „Quamquam enim non soleat habere supremum dominium, suam tamen potestatem impetrandi habet, et omnes illi tamquam dominae et superiori deferunt" (D. 22. s. 2.).

29. *4. Argumentum quartum*: *B. Dei Mater speciali modo hominum regina atque mater est.* — De hac praerogativa luculentius quidem inferius agendum est, sed hoc loco breviter indigitanda est, quia cum maternitate divina connectitur atque etiam multum facit ad summam B. Virginis-Matris dignitatem, ut per se patet. Itaque sicut Christus speciali ratione rex atque dominus noster est, quia patiendo et moriendo nos redemit, ita etiam B. Virgo speciali titulo regina atque mater nostra est, quia tamquam mater redemptoris singulari modo ad redemptionem nostram cooperata est. Etenim eo, quod libero consensu concipiebat et generabat Redemptorem atque ei carnem subministrabat, in qua patiens atque moriens homines redimeret, etiam homines redemptos, utpote membra Redemptoris capitis, quodammodo cum ipso ad vitam supernaturalem concepit atque regeneravit; deinde Redemptorem victimam pro peccatis adolescentem custodivit, enutrivit, cu-

ravit ejusque immolationi in cruce se fortiter sociavit necnon nostram salutem singulariter desideravit, petivit, imo etiam de congruo meruisse videtur; denique redemptione peracta fructuum ejusdem vel gratiarum universalis administra vel mediatrix esse adeoque vitam hominum supernaturalem conservare, curare, fovere pie et merito creditur. Quae cum ita sint, B. Virgo-Mater speciali prorsus ratione hominum redemptorum regina atque mater esse merito dicitur. Atque haec de maternitate spirituali B Virginis relate ad homines breviter dicta hoc loco sufficiunt.

2. pars: Maternitas divina nominatim tum gratiam sanctificantem atque ipsam visionem beatificam tum sacerdotium atque ipsum apostolatum dignitate longe excedit.

Haec assertio jam in 1. thesis parte contineri atque **30.**
simul cum ea probata esse merito dicatur; cum vero circa hanc quaestionem, imprimis quod gratiam sanctificantem attinet, diversitas aliqua inter theologos inveniatur, argumenta quaedam huic parti speciatim accomodanda sunt. Diversitas autem haec non adeo in oppositione sententiarum fundari, quam potius inde provenire videtur, quod sub alio et alio respectu consideratio vel comparatio instituitur. Ut igitur omnis ambiguitas a demonstratione removeatur, *duo breviter praenotanda sunt*: Et *primo* quidem non sub ratione perfectionis physicae neque sub ratione boni beatificantis neque sub alia quacunque a dignitate diversa ratione, sed sub ratione solius dignitatis vel eminentiae status, qui infertur, comparatio instituitur. *Secundo* maternitas spectari potest praecise vel inadaequate, ut tantum dicit meram connexionem physicam cum Filio Dei; et spectari potest magis plene et adaequate, ut dicit cognationem proximam vel intimam personae B. Virginis cum Filio Dei unionem et quodammodo insertionem in familiam Dei atque ut talis gratiam sanctificantem aliaque dona supernaturalia in exigentia et radice continet. Dicitur in *exigentia et radice*, non autem *actu et formaliter*, ita ut membra comparationis sint hinc maternitas divina cum tali exigentia gratiae, non autem cum ipsa gratia actu et for-

maliter: illinc vero gratia sanctificans. Quibus notatis demonstratio jam commode institui videtur:

1. Maternitas divina dignitate gratiam sanctificantem atque ipsam visionem beatificam longe excedit. — Argumenta directe spectant gratiam sanctificantem, sed etiam quoad visionem beatificam valent, ut patebit.

31. *1) Argumentum primum: Assertio statuta consequitur tamquam corollarium ex 1. parte.* — Etenim *primo*, ut ibi ostensum est, ex SS. Patrum et Doctorum sententia dignitas Matris Dei longe excedit omnem creaturarum dignitatem, mente creata incomprehensibilis est, summa est et infinita ita, ut infinita inter Matrem Dei et servos Dei sit distantia. Atqui hanc supereminentem dignitatem B. Mater habet ratione ipsius et solius maternitatis divinae, non autem ratione gratiae sanctificantis. Ergo maternitas divina gratiam sanctificantem dignitate longe excedit. *Minor certa est imprimis*, quia ipsi Patres et Doctores illam dignitatem ex nobilitate et infinitate Filii atque ex intima Matris cum ipso Filio conjunctione derivant. *Praeterea ita confirmari potest:* Gratia sanctificans etiam in aliis servis Dei vel sanctis invenitur; ergo supereminens Matris dignitas in sola maternitate divina, non vero in gratia sanctificante fundatur ideoque illa hanc dignitate excedit. — *Neque contra dici potest*, Matrem Dei gratia sanctificante ea exornatam esse, quae intensitate sua eam aliorum omnium longe excedat, vel B. Matris dignitatem ideo eminere, quia in ipsa cum perfectissima gratia sanctificante simul gratia maternitatis conjuncta inveniatur. Etenim *primo* Patres et Doctores comparationem instituunt inter B. Virginem qua matrem Dei et alios homines qua sanctos vel gratia sanctificante exornatos: *praeterea*, nisi maternitas ipsa per se infinite excedat dignitate gratiam sanctificantem, infinita distantia inter B. Matrem et ceteros servos Dei non explicatur, cum in intensitate gratiae sanctificantis infinitum discrimen esse nequeat, utpote quae necessario finita est.

32. *Secundo etiam aliae rationes supra exhibitae huc spectant.* Scilicet B. Virgo-Mater vi maternitatis divinae de-

mina et regina est universorum; speciali autem modo hominum redemptorum regina atque mater est; imo vero in ipsum Filium suum Deum-hominem auctoritatem maternam eumque sibi subjectum habuit. Atqui haec omnia majorem maternitatis divinae quam gratiae sanctificantis dignitatem esse arguunt. Ergo.

Minor manifesta est primo quod attinet rationem re- **33.**
ginae et dominae universorum; nam ex una parte cum haec praerogativa reginae et dominae ex maternitate connaturaliter consequatur, eadem cum gratia sanctificante nullo modo connectitur; ex altera autem parte manifesto major est auctoritas et dignitas reginae et dominae, quam eorum, qui reguntur et subjecti sunt. — *Minor manifesta est item secundo* quod attinet rationem reginae et matris hominum redemptorum: etenim ut talis B. Virgo principium exstat vitae supernaturalis adeoque gratiae sanctificantis hominum; atqui principium quodvis necessario praecellentia et dignitate eminet prae effectu: ergo iterum major dignitas competit maternitati divinae quam gratiae sanctificanti. — *Minor tandem manifesta prorsus est tertio* quod attinet auctoritatem B. Matris in ipsum Filium suum Deum-hominem sibi subjectum. Haec enim praerogativa, cum nullo pacto gratiae sanctificanti, sed soli maternitati divinae conveniat, dignitatem infert sublimissimam, ut per se intelligitur. Merito igitur *S. Bernardus*: „*Et erat subditus illis.* Quis? Quibus? Deus hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt, subditus erat Mariae, sed etiam Ioseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet et elige quod amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive parentum excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum: et quod Deus homini obtemperet, humilitas sine exemplo; et quod homo Deo principetur, sublimitas sine socio“ (Serm. 1. super *Missus est* n. 7.).

2) Argumentum secundum: Gratia maternitatis prae **34.**
gratia sanctificante praestat considerato effectu formali. — Nimirum cum gratia sanctificans subjectum suum constituat

tantum filium Dei adoptivum, gratia maternitatis divinae B Virginem reddit Matrem Dei naturalem vero et proprio sensu: atqui dignitatis longe altioris est matrem Dei esse naturalem, quam in filium Dei tantum adoptari: ergo maternitas divina dignitate longe excedit gratiam sanctificantem. *Minor argumenti per se manifesta esse videtur; verum illustratur primo* ex iisdem relationibus inter homines vigentibus; scilicet etiam regis mater naturalis, utpote quae sanguine et quodammodo substantialiter cum rege intime conjuncta est, prae filio ab extra adoptato longe excellere ab omnibus computatur. *Illustratur secundo* per unionem hypostaticam, per quam natura humana Christi quadam ratione participat filiationem naturalem divinam ipsius Verbi atque omnem filium adoptivum dignitate infinite excedit. Quare analoga ratione etiam maternitas divina naturalis filiationem divinam adoptivam longe excedere dicenda est.

35. *Excipi potest contra hoc argumentum,* filiationem adoptivam subjectum suum referre ad Deum, ut Deus est: maternitatem autem B. Virginem ad Deum referre tantum eatenus, quatenus homo est vel in humana natura subsistit; quare filiatio adoptiva prae maternitate divina praestare videatur. — *R. Primo* etiam maternitas divina ad ipsum Deum, ut est Deus, B. Matrem refert, ut supra (th. 1. n. 36. ss.) jam explicatum est, hinc nulla est sub hoc respectu praestantia gratiae sanctificantis prae maternitate. — *Secundo* maternitas divina B. Virginem refert ad Verbum divinum in se secundum esse suum personale spectatum, cum relationem dicat personalem: filiatio adoptiva autem vel ejusdem forma gratia sanctificans, ut est radix vitae supernaturalis et vita aeterna inchoata, ad Deum refert non in se et personaliter consideratum, sed ad Deum potius intentionaliter spectatum, prout tamquam objectum supernaturalis cognitionis et amoris creatae facultati quodammodo attemperatus est. Quare actus ejusmodi supernaturales etiam hominis justi, etsi infinitatem quandam ex objecto, sc. Deo, habeant, in inferiori tamen infinitatis ordine inveniuntur, quam peccatum ut est offensa Dei, utpote quae ad ipsum Deum, prout est in se et per-

sonaliter subsistit in natura divina terminatur, et ab eo quodammodo speciem sumit: unde etiam est, quod purus homo etiam in gratia constitutus pro peccato condigne satisfacere non potest. Cum igitur maternitas ad ipsam personam divinam in se consideratam B. Virginem referat et personalem intimam connexionem inferat, prae gratia sanctificante longe praestare invenitur. — Ceterum *tertio* tota tandem aliquando praestantia filiationis adoptivae in eo est, quod per eandem jus ad bona divina participanda communicatur; atque hoc jus multo magis resultare intelligitur per maternitatem divinam naturalem, cum jus matris naturalis sit nativum prorsus personae matris, filii autem adoptivi jus superadditum sit. Neque obstat, quod B. Virgo sit mater naturalis Dei Filii secundum naturam humanam, non divinam; nam cum Dei Filius in natura humana a B. Matre accepta et per actiones et passiones ejusdem bona divina nobis acquisierit, a fortiori ipsi matri jus ad eadem bona competebat; sane cui Deus semetipsum Filium dedit, necessario simul jus ad sua bona communicavit; maxime profecto quoad B. Matrem illud Apostoli valeat necesse est: *quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit* (Rom. 8, 32.).

3) Argumentum tertium: Maternitas divina gratiam sanctificantem in radice et eminenter continet. — Maternitas divina exigit gratiam sanctificantem in magna plenitudine eamque radicaliter et eminenter continet; gratia sanctificans autem nequaquam postulat maternitatem neque eam ullo modo continet; atqui ex duabus praerogativis illa dignitate eminet, quae alteram postulat eamque in radice et eminenter continet, ab hac autem non postulatur nec continetur: ergo maternitas divina prae gratia sanctificante eminere invenitur. **36.**

Minor argumenti manifesta esse videtur; item altera pars majoris evidens est. Prima autem pars majoris ex praecedenti tractatione consequitur et in subsequenti tertia thesis parte luculenter demonstrabitur. Quare hoc loco breviter notare sufficit, eandem communi SS. Patrum et Doctorum suffragio confirmari, atque hujus rei testimonia duo solum alterum *S. Augustini*, alterum *S. Thomae* adducere: „Inde

novimus, tantam gratiam ei esse collatam, quia Deum concipere meruit et parere" (Augustinus, de nat. et gratia c. 36.). „Beata Virgo, quia fuit a Deo electa in matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit" (S. th. 3. p. q. 27. a. 6. ad 1.)

37. *Confirmatur argumentum primo* ex unione hypostatica, utpote quae tamquam unio cum Deo omnium perfectissima absolutam gratiae sanctificantis plenitudinem naturae humanae Christi exigit adeoque longe prae gratia sanctificante eminere intelligitur. Ergo idem etsi non eadem analoga tamen ratione de maternitate divina dicendum est, quippe quae post unionem hypostaticam arctissimam cum Deo unionem dicit.

38. *Confirmatur argumentum secundo* auctoritate *B. Alberti M.* et *Suarezii*, quorum primus jam ita argumentum breviter proposuit: „Quidquid claudit alterum in se, plus est eligendum quam illud quod non claudit alterum in se: sed esse matrem Dei per naturam, necessario claudit in se esse filium Dei adoptivum" (Marial. q. 141.). Alter vero explicatius argumentum sic efformavit: „Comparatur haec dignitas matris Dei ad alias gratias creatas tamquam prima forma ad suas proprietates; et e converso aliae gratiae comparantur ad ipsam sicut dispositiones ad formam: est ergo haec dignitas matris excellentior, sicut forma perfectior est suis proprietatibus et dispositionibus. Alias non recte ex minore dignitate colligerent Sancti aliam multo majorem et excellentiorem" (D. 1. s. 2. n. 4.). Et paulo inferius principio argumenti confirmato iterum in eundem sensum concludit: „Sicut ratione unionis debetur humanitati Christi summa gratia et gloria, ita ratione divinae maternitatis debetur Virgini suo modo magna quaedam plenitudo gratiae . . .; ergo hac ratione dignitas matris est quodammodo ratio et principium dignitatis gratiae, quam quodammodo eminenter continet secundum ordinem divinae sapientiae: ergo sub hac ratione dignitas haec excellentior est, et simpliciter majus Dei beneficium existimari debet eligi Virginem in matrem Dei, quam eligi verbi gratia Petrum ad gloriam, quia illa electio hanc in virtute et eminentiore modo continet" (Ibid. n. 7.).

4. *Argumentum quartum: Maternitas divina in altiore* **39.**
ordine constituit atque arctius cum Deo unit, quam gratia sanctificans. — Nimirum quatuor universitatis rerum ordines pro quadruplici diversa divinitatis participatione discerni possunt: *primo* ordo naturae, in quo naturalis tantum quaedam et analoga et imperfecta divinae perfectionis communicatio habetur: *secundo* ordo gratiae et gloriae, in quo creatura rationalis supra suam naturam evecta consors fit naturae divinae, sed modo tantum accidentali: *tertio* ordo hypostaticus, in quo natura creata ad ipsum esse divinum evehitur atque cum ipso Deo immediatam et substantialem unionem habet: *quarto* ipse ordo divinus, ubi Deitas per identitatem tribus personis divinis realiter communis est. Apertum autem est, ordinem gratiae, sicut infinite quodammodo excedit sublimitate et dignitate ordinem naturae, ita vicissim infinite excedi ab ordine hypostatico, utpote qui per ipsam personam divinam incarnatam constituitur. Atqui B. Dei Mater praecise maternitatis divinae ratione proxime pertinet ad hunc ordinem hypostaticum, ut jam supra dictum est. Ergo maternitas divina sublimitate infinita quadam ratione gratiam sanctificantem excedit.

Minor probatur: nam mater et filius necessario ad eun- **40.**
dem ordinem vel ad eandem familiam pertinent, imo per unitatem carnis connexionem substantialem cum invicem habent vel quodammodo una caro sunt. B. igitur Dei Mater, cum maternitate sua ad ordinem hypostaticum proxime spectet, in familiam Dei transit atque nobilitatem Dei, quantum fieri per creatam personam potest, immensa quadam ratione participat. Quare pariter maternitas divina immensa quadam ratione, sicut quamlibet aliam praerogativam vel excellentiam creatam, ita etiam gratiam sanctificantem dignitate excedit.

5. *Argumentum quintum: Major dignitas maternitatis* **41.**
divinae prae gratia sanctificante ex cultu hyperduliae Beatae Matri exhibito infertur. — Hic quidem cultus hyperduliae fundatur in supereminente B. Matris dignitate et ex eadem demonstrari potest, sed vicissim ex hoc cultu prius vel

aliunde cognito etiam supereminens illa dignitas tamquam ratio ex rationato inferri potest: Itaque B. Dei Matri secundum doctrinam et praxin in ecclesia inde ab antiquitate vigentem praecise ratione maternitatis divinae exhibetur cultus et veneratio, quae inferior quidem est cultu latriae soli Deo exhibito, cultum autem aliis Sanctis exhibitum i. e. duliam non solum gradu. sed essentialiter vel specifice longe excedit. Atqui praestantia cultus sicut generatim honoris exhibiti commensuretur necesse est cum excellentia vel dignitate, propter quam exhibetur. Ergo cultus hyperduliae B. Matri assertus et exhibitus certissimum signum est. maternitatem divinam dignitate essentialiter et longe excedere dignitate gratiam sanctificantem. quae in aliis Sanctis ratio exstat, ob quam religioso cultu i. e. dulia colantur.

42. *Major argumenti*, quae. cum minor manifesta sit. sola probatione indiget, jam ex 1. thesis parte satis certa est, atque insuper inferius magis ex professo evolvenda erit; quare hoc loco in confirmationem ejusdem pauca documenta addere satis erit: Primo igitur Patres *Concilii Niceni II.* act. IV. declarant: „Salutamus autem et dominicas et apostolicas et propheticas voces, per quas honorare et magnificare dicimus primo quidem eam, quae et veraciter est Dei genitrix et superior coelestibus cunctis virtutibus . . .“ (Ap. Labbé t. 7. col. 322.). — Et *S. Thomas* statuit: „Cum beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriae, sed solum veneratio duliae, eminentius tamen quam ceteris creaturis, in quantum ipsa est mater Dei: et ideo dicitur, quod debetur ei non qualiscunque dulia sed hyperdulia“ (S. th. 3 p. q. 25. a. 5.). — Similiter *S. Bonaventura:* „Beatissima Virgo Maria pura creatura est. et ideo ad honorem et cultum latriae non ascendit. Sed quoniam excellentissimum nomen habet. ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest. ideo non tantum debetur ei honor duliae. sed hyperduliae. Hoc autem nomen est. quod Virgo existens Dei mater est. Quod quidem ita tantae dignitatis est. quod non solum viatores sed et comprehensores. non solum homines. verum etiam Angeli eam revereantur quadam

praerogativa speciali. Ex hoc enim, quod Dei mater est, praelata est ceteris creaturis, et eam prae ceteris decens est honorare et venerari. Hic autem honor consuevit a magistris hyperdulia vocari" (In 3. d. 9. a. 1. q. 3.). Similiter etiam alii theologi communiter. Cf. Suarez, d. 22. s. 3.

6) *Argumentum sextum: Maternitas praerogativa est in aeternum B. Virginem ornans.* — Nimirum, ut in tractatu de Verbo Incarnato (Th. 16. p. 3) ostensum est, unio hypostatica Verbi divini cum humana natura nunquam dissolvetur, sed in aeternum manebit: quare „*Christus heri et hodie, ipse et in saecula*" (Hebr. 13, 8.). Ergo etiam maternitas divina a B. Virgine nunquam auferetur, sed in aeternum eam exornabit; haec duo enim evidenter correlata ideoque necessario simul sunt. Gratia sanctificans autem a suo subjecto auferri potest et saepe, scilicet per peccatum grave, reipsa aufertur. Atqui prae dignitate, quae amitti potest et saepenumero reipsa amittitur, longe praestat altera, quae amitti nunquam nequit. Ergo maternitas divina dignitate longe praestat gratia sanctificante. Quod etiam magis adhuc confirmatur inde, quia maternitas divina B. Virginem reddidit impeccabilem ut inferius ostendetur et ideo gratiam sanctificantem ab ipsa inseparabilem. Ergo. **43.**

Breviter notare sufficit, argumentis propositis assertionem etiam probatam esse quoad visionem beatificam. Etenim cum gratia sanctificans sit *vita aeterna inchoata*, visio beatifica autem *vita aeterna consummata*, haec dona supernaturalia in eodem ordine inveniuntur, ita ut alterum non sit nisi alterius quodammodo evolutio, atque utrumque subjectum suum nonnisi filium Dei adoptivum constituat. *Ceterum etiam proprio adhuc argumento praestantia maternitatis divinae prae visione beatifica ostendi potest:* Nimirum in ratione entitatis physicae praestat quidem visio beatifica, quatenus spiritualis est, cum generatio, in qua maternitas fundatur, corporalis sit: haec autem i. e. generatio longe praestat, quatenus altioris ordinis est ideoque dignitatem fundat multo altiorem. Etenim visio beatifica terminatur ad accidens aliquod producendum, speciem scilicet, qua Deus intuitive videtur: adeoque **44.**

ad Deum ipsum non terminatur nisi intentionaliter spectatum atque finito intellectui quodammodo attemperatum; neque aliam, quam accidentalem unionem cum Deo efficit. Maternitas autem divina sive generatio Dei-hominis terminatur ad ipsum Deum in se spectatum, prout personaliter in natura humana subsistit, adeoque terminum productionis substantialem habet, i. e. ipsum Deum-hominem: quare etiam unionem multo arctiorem, scilicet secundum substantiae quandam identitatem infert et in ordine essentialiter altiori invenitur. Hinc vero spectato ex utraque parte termino producto recte infertur: Maternitas divina in tantum excedit visionem beatificam, in quantum Deus-homo superat accidens supernaturale. Nimirum unio maternitatis proxime accedit ad unionem hypostaticam, ut saepius jam dictum est; haec autem „unio incarnationis, cum sit in esse personali, transcendit unionem beatae mentis ad Deum, quae est per actum fruentis" (S. th. 3. p. q. 2. a. 11.). Ergo idem dicendum est proportionali ratione de maternitate divina relate ad eandem visionem beatificam.

45. ***2. Maternitas divina etiam sacerdotium atque ipsum apostolatum dignitate longe excedit.*** — Etiam haec assertio argumentis prius propositis jam solide fundata esse intelligitur; nihilominus majoris claritatis causa etiam ipsi propria quaedam argumenta accommodanda sunt, quibus munera vel proprietates utriusque dignitatis cum invicem comparantur:

1) Argumentum primum: — B. Virgo-Mater Christo Deo-homini generatione humanam naturam adeoque existentiam substantialem communicavit; a sacerdote consecrante vero idem Christus non accipit nisi novam praesentiam localem vel sacramentalem, quae ad existentiam substantialem accidentaliter accedit. Atqui illud prae hoc longe praestantius est et dignitatem longe majorem in subjecto agente vel largiente infert. Ergo.

46. *2) Argumentum secundum.* — Praecellens dignitas Beatae Virginis-Matris adhuc magis apparet, si praeter terminum operationis in primo argumento consideratum etiam ratio

operandi inspiciatur. Etenim B. Virgo in concipiendo et generando Filio Dei causa principalis et naturalis est, quamvis non naturali ratione foecundata, sed supernaturaliter a Spiritu Sancto obumbrata sit: sacerdos vero quoad ipsum illum effectum inferiorem causa solum secundaria et ministerialis est, cum non propria auctoritate et virtute, sed aliena et communicata operetur. Ergo.

3) *Argumentum tertium.* — Idem apparet, si Christus **47.**
magis tamquam sacerdos et victima oblata spectatur. Nam B. Virgo ex carne sua et propria operatione sacerdotem et victimam N. L. produxit, custodivit, praeparavit ad sacrificium crucis atque etiam cum ipso obtulit; sacerdos autem tamquam causa ministerialis tantum in sacrificio missae victimam eandem in statu mysticae mactationis ponit. Atqui illud multo propius quam hoc victimam attingit ideoque longe majorem excellentiam et dignitatem in subjecto agente arguit et ponit. Ergo.

4) *Argumentum quartum.* — Sacerdotum atque ipsorum **48.**
Apostolorum est, tamquam ministros secundarios mundo annuntiare vel communicare verbum Dei revelatum atque fructus redemptionis hominibus applicare; B. Virgo-Mater autem divinitus electa fuit, ut mundo communicaret ipsum Verbum incarnatum vel Redemptorem atque ad ipsam redemptionem acquirendam tamquam causa subordinata vere cooperata est. Atqui hoc alterum multo sublimius illo primo esse manifesto intelligitur ideoque iterum ostendit in B. Virgine dignitatem longe majorem. Ergo.

5) *Argumentum quintum.* — Cum Deus pro sapientia **49.**
sua gratiam alicui personae tributam cum dignitate muneribus ejusdem commensuret, ea persona etiam dignitate prae aliis excellere dicenda est, quae gratia prae aliis eminet. Atqui B. Virgo-Mater ex consensu SS. Patrum et Doctorum et theologorum ea gratiae plenitudine a Deo insignita est, quae gratiam omnium hominum etiam sacerdotum et Apostolorum imo ipsorum Angelorum longe excedit. Ergo B. Virgo-Mater etiam dignitate prae sacerdotibus et ipsis Apostolis longe eminet.

3. p. Maternitas divina ceterarum B. V. praerogativarum prima radix vel causa finalis est.

50. Cum B. Virgo etiam aliis pluribus praeter maternitatem divinam praerogativis insignibus exornata sit, merito quaeritur, qua ratione vel quo ordine diversae illae praerogativae ad invicem referantur. Iam ad istam quaestionem per hanc 3. thesis partem respondetur. Nimirum maternitas divina B. Virginis relate ad ceteras praerogativas eidem a primo instanti existentiae usque ad gloriosam in coelis exaltationem collatas se habet proportionali ratione, sicuti in Deo aseitas relate ad alias perfectiones divinas, necnon sicuti in Christo unio hypostatica relate ad alias gratias et dona, quibus humana Christi natura divinitus exornata est. Quemadmodum igitur a natura aliqua exiguntur proprietates et qualitates respondentes et ex ea demonstrative inferuntur, ita a divina maternitate ceterae praerogativae exiguntur vel ut necessariae vel ut congruae atque ex ea vel certo vel probabiliter saltem inferuntur. Quare maternitas divina B. Virginis, ut in ordine supernaturali constituta consideratur, essentia quodammodo est vel character personalis. Quibus positis assertio satis commode probatur.

51. ***1. Probatur ex SS. Patrum doctrina.*** — Huc spectant innumera fere SS. Patrum testimonia, quibus docent et inculcant, B. Virginem largissimis gratiae donis cumulari debuisse et cumulatam esse: *primo* ad altissimum Matris Dei munus rite obeundum; *secundo* ad Filii honorem et gloriam servandam et procurandam; *tertio,* ut legem illam: *Honora matrem tuam,* ab ipso Deo Filio servatam esse manifesto appareat. *Deinde idem docent exercite,* scilicet reipsa saepenumero ex maternitate divina tamquam fundamento alias praerogativas ut v. g. summam puritatem vel intercessionis potentiam inferentes. Quae multis Passaglia (l. c. s. 6. c. 1. a. 1.) ostendit testimoniis, quorum plura jam supra (n. 3. ss.) allata sunt. Quare alia pauca testimonia hic addere satis erit.

52. *Audiantur primo aliqui Patres graeci; Basilius Seleuc.:* „Quis non miretur, quantopere supereamineat, quotquot hono-

ramus Sanctos? Nam si Deus servis tantum impartitus est gratiae . . . qualem Matri virtutem inesse cogitabimus? Annon majorem multo, quam ei subjectis? Cuivis notum." (Orat. 39. in SS. D. annuntiat.) — *Modestus Hierosolym.*: „Ex omni rationali et intelligenti creatura illam elegit in sanctissimam Matrem suam eamque sua plenam gratia supra omnem modum sustulit" (Encom. in B. V. n. 2.). Et ibidem iterum: „Illam elegit et concorpore induit incorruptibilitate ac supra modum glorificavit, ut sua esset haeres, utpote sanctissima sua mater" (n. 5.). — *Anastasius Sinaita*: „Quomnodo est enim mater hujusmodi Filii non ferens in se integram et illaesam foetus sui imaginem?" (In Hexaëm. l. 6.). — *Ioannes Damascenus*: „Oportebat denique Dei matrem ea quae Filii essent possidere et ab omnibus creaturis adorari" (Orat. 2. in dormit. B. V. M.). — *Gregorius Neocaes.*: „Quem tu, sancta Virgo portare non posses, nisi omni gloria atque virtute pro tempore illo refulgeres" (Hom. 2. in annuntiat. V. M.). — *Georgius Nicomediensis*: „Habes ut mater indeprecabilem ac nesciam repulsae apud Filium fiduciam: habes insuperabilem potentiam, habes vim inexpugnabilem" (Orat. 6. in SS. Deip. ingressum in templum). Ita Patres graeci.

Patres latini similiter. Ambrosius: „Sed nec Maria 53.
minor, quam matrem Christi decebat" (Ep. 63. n. 10.). *Augustinus*: „Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum?" (De nat. et grat. c. 36. n. 42.). — *Petrus Damiani*: „Quam (Mariam) utique aeterna sapientia, quae attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter (Sap. 8.) talem construxit quae digna fieret illum suscipere et de intemeratae carnis suae visceribus procreare" (Serm. 40 in Nativ. B. M. V. 2.). Et alibi: „Fecit in te magna, qui potens est, et data est tibi omnis potestas in coelo et in terra . . . Nihil tibi impossibile . . . Quo-

modo enim illa potestas tuae potentiae poterit obviare, quae de carne tua carnis suscepit originem?" (Serm. 44. in Nativ. B. V. 1.). — *S. Bernardus:* „Ascendens ergo in altum Virgo beata dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? Si quidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina coelorum est, misericors est, denique mater est unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus seu pietatis magnitudinem commendare: nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum caritatis transisse Mariae viscera, in quibus ipsa quae ex Deo est caritas novem mensibus corporaliter requievit" (Serm. 1. in Assumptione B. V. M.). Et alibi: „Factor hominum ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrem, qualem et se decere sciebat et sibi noverat placituram" (Hom. 2. super Missus n. 1.). — *S. Anselmus:* „Decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem eligebat, et de qua Spiritus Sanctus volebat et operaturus erat ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedebat" (De conceptu virg. c. 18.). — Denique *Eadmerus* S. Anselmi discipulus: „Inter homines usus obtinuit, . . . ut cum praepotens aliquis et persona dives aliquo vadit hospitaturus, clientes percurrant, ut locum muniant, mundent, ornent, et custodiant, quo venienti Domino suo aptus ad inhabitandum et congruus fiat. Quodsi talis apparatus fit pro adventu terreni hominis et momentaneae potestatis, qualis apparatus omnis boni putamus fiebat pro adventu coelestis Regis et aeterni in corde sacratissimae Virginis, quae illum non solum erat in semet transitive hospitatura, sed etiam ex substantia sua factum hominem paritura" (De excellentia Virg. Mar. c. 3).

54. Ex his Patrum et veterum scriptorum testimoniis accuratius inspectis manifestum est, ex eorum sententia mater-

nitatem divinam ceteras B. Virginis praerogativas aut postulare tamquam necessarias ad ipsam dispositiones aut easdem tamquam proprietates vel effectus in radice continere et progerminare. Quare maternitas merito causa moralis et radix illarum esse statuitur.

2. *Ex communi theologorum subsequentium* 55.
doctrina. — Cum Patribus et antiquis scriptoribus in eadem hac doctrina conveniunt theologi subsequentes. Audiatur primus *S. Thomas* ex principiis duobus generalibus rem simul declarans. Ad primum principium spectant haec: „Unicuique (Deus) dat gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur, sicuti homini Christo data est gratia excellentissima, quia ad hoc est electus, ut ejus natura in unitatem personae divinae assumeretur; et post eum habuit maximam gratiam beata Maria, quae ad hoc electa est, ut esset mater Christi" (In ep. ad Rom. c. 8. l. 5.; cf. S. th. 3. p. q. 27. a. 6. ad 1. et ibid. a. 1.). Quibus clare maternitas divina tamquam mensura et ratio ceterarum gratiarum exhibetur. Hanc rationem etiam magister S. Thomae, *B. Albertus M.*, jam sic proposuit: „Cum dans det secundum rationem, et ratio respiciat finem, majus donum dat, quod dat ad majorem finem: ut imperator majus dat, cui daret donum ad essendum senatorem, quam daret ad essendum simplicem servientem. Sed beatissimae Virgini dabatur donum ad essendum Matrem Dei, omnibus aliis dabatur ad essendum servos Dei. Sicut igitur improportionabiliter majus est esse matrem Dei quam servum Dei, ita improportionabiliter est majus donum quod est ad essendum Matrem Dei, quam quod est ad essendum servum Dei" (Super *missus est,* q. 46.). Ad alterum principium ista spectant: „Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii . . . Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, et ideo prae ceteris majorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere" (Ibid. a. 5.). Atque his maternitas clare tamquam radix vel fons ceterarum gratiarum sistitur. — Clare etiam *S. Bernardinus Sen.*: „Quod Deus

generaret Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conveniret, ut per viam naturae intellectus produceret Verbum per omnia sibi aequale . . .; sed quod femina conciperet et pareret Deum, est et fuit miraculum miraculorum. Oportuit enim, ut sic dicam, feminam elevari ad quandam aequalitatem divinam per quandam quasi infinitatem perfectionum et gratiarum, quam aequalitatem creatura nunquam experta est" (Serm. 61. de superadmirabili gratia et gloria B. V. Matris Dei). Ceterae igitur gratiae et praerogativae B. V. tamquam necessariae dispositiones ad maternitatem divinam exiguntur. — Item *Suarez:* „Ideo ergo B. Virgo praedestinata est ad tantam gratiam et gloriam, quia electa est in matrem Dei: ordo enim executionis manifestat ordinem intentionis; sed in reipsa talis gratia et gloria data est B. Virgini, ut esset ita disposita, sicut matrem Dei decebat: ergo ideo fuit electa ad tantam gratiam et gloriam, quia in matrem Dei praeelecta" (D. 1. s. 3. n. 3.). — Denique egregie etiam *Cornelius a Lap.*: „Ex hac dignitate maternitatis Dei sequuntur omnia dona et privilegia B. Virgini a Deo prae omnibus hominibus et Angelis concessa. Sicut enim humanitas Christi, quia Verbo unita ab eo accipit dotes et privilegia tali unione et conjugio digna, quae scilicet talem humanitatem sic exaltatam et Verbo unitam decebant, imo quae eam exaltarent, et unione cum Verbo quasi dignam efficerent, sic pariter Deus B. Virgini largitus est omnia charismata et decora, quae talem matrem Christi et sponsam Dei decebant. Unde sic conclude: B. Virgo est mater Dei: ergo ipsa longe excellentior est omnibus Angelis etiam Seraphinis et Cherubinis. Mater Dei est; ergo purissima est et sanctissima, adeo ut sub Deo major puritas intelligi nequeat. Mater Dei est; ergo quidquid ulli Sanctorum concessum est privilegii, hoc illa prae omnibus obtinet" (intellige: nisi obstet diversitas muneris vel conditionis) (In Matth. c. 1. n. 16). Cf. testim. Petavii supra in th. 1. n. 2. allatum. Similiter alii theologi.

56. ***3. Ex ratione theologica.*** — Huc spectant imprimis rationes duae, quas S. Thomas comprehendit testimo-

niis modo allatis, scilicet prima, quae inde procedit, quod pro sapientia divina munus vel dignitas supernaturalis alicujus personae est mensura et ratio gratiae eidem collatae; atque altera, quae in eo fundatur, quod conjunctio cum Deo radix et mensura gratiae est. — Sed majoris claritatis causa insuper aliae quaedam addi possunt:

1) Probatur ex sapientia divina. — Cum B. Virgo-Mater prae omnibus aliis hominibus atque etiam Angelis singularibus prorsus privilegiis atque praerogativis ornata effulgeat, spectata infinita Dei sapientia ea dona conferentis, ratio aliqua objectiva sufficiens eorundem donorum exstare debet: atqui nulla alia ratio praeter maternitatem divinam unquam assignata est vel assignari potest: ergo maternitas divina moralis radix atque ratio est omnium aliarum praerogativarum eidem collatarum. 57.

2) Ex mutuo inter Filium Dei ejusque sanctissimam matrem amore. — Nimirum theologis communiter docentibus ratio et mensura donorum creaturis a Deo collatorum est ex una parte amor Dei erga creaturam, ex altera autem etiam amor creaturae erga Deum. Iamvero amor mutuus inter Filium Dei ejusque sanctissimam matrem primo loco in maternitate divina B. Virginis fundatur atque ab ea speciem suam atque singularem intensitatem habet. Ergo iterum maternitas divina tamquam prima radix et ratio et mensura singularium privilegiorum atque praerogativarum B. Virginis apparet. *Minor argumenti* manifesta esse videtur; sed egregie peculiari quadam ratione sic confirmatur ab Eadmero, S. Anselmi discipulo: „Omnes homines ex conjunctione duarum personarum, hoc est maris et feminae procreantur, et amorem suum utrique personae, id est patri et matri naturaliter debent, qui sic generantur, ipsisque nihilominus suum parentes ambo, qui eos genuerunt. Cum autem amorem, quem pater et mater singuli debent filio suo, debet haec felicissima matrum sola filio suo, amorem etiam, quem debet quilibet filius simul suo patri et matri, ille filius vere Virginis debet suae soli matri. Nam sicut alii filii nascuntur ex patre et matre, ita filius ejus natus est ex ea sola matre. Excedit 58.

itaque omnes amores parentum in filios aut filiorum in parentes amor istius matris in filium suum et istius filii in matrem suam" (De excellentia B. M. c. 4.).

59. 3) *Ex cognatione B. Virginis cum ipsa divinitate.* — Nimirum tamquam mater Filii Dei tum cum ipso tum cum Deo Patre et Spiritu Sancto arctissimam habet conjunctionem et vera quadam ratione ad familiam divinam pertinet adeoque jure suo bona divina participat; ergo cetera bona supernaturalia, quaecumque possidet B. Virgo praeter maternitatem divinam ad hanc tamquam ad radicem et rationem referuntur. Apposite *Suarez*: „Tandem hanc totam excellentiam debitam esse quodammodo huic dignitati, ita potest explicari, quia decet matrem honorari a filio, imo ratione maternae dignitatis habet singulare jus ad bona filii: ergo hac ratione dignitas matris est quodammodo ratio et principium dignitatis gratiae, quam quodammodo eminenter continet secundum ordinem divinae sapientiae; ergo sub hac ratione dignitas haec excellentior est, et simpliciter majus Dei beneficium existimari debet eligi Virginem in matrem Dei, quam eligi, verbi gratia, Petrum ad gloriam, quia illa electio hanc in virtute et eminentiore modo continet" (D. 1. s. 2. n. 7.).

60. ***4. Ex auctoritate Pii P. IX.*** — Nimirum in Bulla *Ineffabilis* aeterna B. Virginis electione in Dei Matrem statuta rationem ceterarum praerogativarum in ipsa illa electione inveniri perspicue declarat his verbis jam supra adductis: „Quapropter illam longe ante angelicos Spiritus cunctosque Sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus labe semper libera ac tota pulchra ac perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest." Quod adhuc magis exponit et urget ibidem pergens.

Scholion.

61. ***Objectiones quaedam solvuntur.*** — Quae contra doctrinam praesertim in 1. et 2. p. propositam fieri

possunt vel factae sunt objectiones, ex minus accurata status quaestionis consideratione plerumque procedunt ideoque eo sedulo attento satis commode solvuntur:

1) Christus Dominus ipse praetulit maternitati divinae fidem et bona opera, nam mulieri clamanti: ,Beatus venter, qui te portavit, et beata ubera, quae suxisti' respondit: ,quinimo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud' (Luc. 11, 27. 28.). Et confirmatur auctoritate Doctorum; v. g. S. Augustinus scribit: „Beatior Maria percipiendo fidem Christi quam concipiendo carnem Christi" (De virg. c. 3.); et Beda Ven: „Inde multo beatior, quia ejusdem Verbi amandi custos manebat aeterna" (In h. l.). — *R*: *d.* praetulit maternitati divinae fidem et bona opera in ratione boni dignificantis vel dignitatis *n.* in ratione boni beatificantis *sbd.* maternitati pure materiali vel carnali *c.* maternitati, ut est singularis conjunctio cum Deo *n.* Scilicet *primo* maternitas divina in ratione dignitatis altior et nobilior esse potest fide et gratia et gloria, etsi non ut gloria immediate et formaliter beatificat; quod manifeste patet, cum idem etiam de unione hypostatica dicendum sit. Neque id ulla ratione a Christo negatur, cum de maternitate sub hoc respectu dignitatis considerata simpliciter non sit sermo. — *Secundo* Christus nullo pacto negat B. Virginem propter maternitatem divinam praedicandam esse beatam, verum potius hanc mulieris illius praedicationem confirmat atque simul supplet addens, qua ratione etiam alii beati esse queant; haec est enim ratio illius particulae *quinimo* μενοῦν, quod confirmationem et transitionem inducat. Vel qua ratione a Christo negari possit B. Virgini id, quod ipsi a B. Elisabeth tribuitur: *Beata, quae credidisti, quoniam perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino* (Luc. 1, 45), et quod ipsa sibi ab omnibus generationibus tributum iri praedixit: *ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Apposite *Venerab. Beda:* „Pulchre Salvator attestationi mulieris annuit non eam tantummodo quae Verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes qui idem Verbum spiritualiter auditu fidei concipere et boni operis custodia vel in suo vel

in proximorum corde parere et quasi alere studuerint, asseverans esse beatos" (In h. loc.). — Hinc vero *tertio* Christus neque maternitati divinae alteram beatitudinem praefert, quia hanc cum illa non comparat, sed eandem addit, ut omnibus viam ad beatitudinem ostendat. — Sed insuper *quarto* si Christus maternitati a muliere illa praedicatae praeferret fidem, neque tunc quidquam contra maternitatem divinam consequeretur; nam cum illa mulier, ut Suarez recte notat (d. 1. s. 2.), vix Christi divinitatem novisset, non maternitas divina, prout arctissimam cum Deo unionem dicit et fidem includit vel supponit, fidei postponeretur, sed maternitas carnalis ad merum hominem etsi prophetam magnum terminata. — Denique *quinto* similiter respondendum est ad confirmationem: Scilicet SS. Doctores illis verbis utentes, praeterquam quod non considerant maternitatem sub ratione dignitatis, insuper prae oculis habent maternitatem vel conceptionem mere carnalem, non autem maternitatem divinam adaequate conceptam, ut includit vel supponit fidem et consensum B. Virginis; neque igitur huic sed illi fidem praeferunt; imo maternitatem perfecte conceptam illi maternitati imperfecte conceptae praeponere merito dicuntur.

62. *2) Ipsa B. Virgo virginitatem maternitati divinae praetulisse videtur; nam Angelo mysterium Incarnationi annuntianti respondit quaerens: „Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?" Quibus verbis virginitatis propositum vel votum manifestasse videtur ita firmum, ut potius maternitati divinae quam virginitati renuntiare vellet, si scilicet maternitas divina virginitatis violationem secum ferret. Qua ratione SS. Patres et plures theologi illa verba B. Virginis interpretantur.* — *R.*: Quod ex verbis istis B. Virginis infertur, nequaquam in iisdem contineri videtur. Etenim B. Virgo proprie non comparat cum invicem maternitatem divinam et virginitatem in se spectatas neque igitur hanc illa majoris aestimat, sed memor propositi sui vel etiam voti de servanda viginitate perpetua atque idem a Deo acceptum et approbatum esse persuasum habens Virgo sapiens potius prudenter de modo interrogat, quo annuntiatio angelica se-

cundum Dei voluntatem impleri possit et debeat, ut scilicet quid sibi praestandum esset, a nuntio coelesti disceret. Itaque de Dei voluntate imprimis sollicita est eamque sibi omnibus praeferendam esse censet. Apposite *S. Bernardus:* „Non quaerit, an fiet istud, sed quomodo; quasi dicat: cum sciat Dominus meus, testis conscientiae meae, votum esse ancillae suae non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, et gaudeo de filio et doleo de proposito: fiat tamen voluntas ejus. Sin vero virgo concipiam, virgo et pariam, quod utique si placuerit, ei impossibile non erit, tunc scio vere, quia respexit humilitatem ancillae suae" (Hom. 4. super *Missus* n. 3.). Cum hac S. Bernardi explicatione etiam alii Patres et Doctores conveniunt. Si vero aliqui aliter senserint, neque tamen consensus neque majoris partis auctoritas datae responsioni opponitur. — Ceterum ipsa natura rei inspecta parum probabile apparet, Virginem sapientissimam et sanctissimam praetulisse ullum aliud bonum maternitati divinae, utpote quae intimam cum Deo unionem necnon plenitudinem gratiarum atque perfectissimum Dei amorem infert, quod ipsa Virgo non perspicere sane non poterat.

3) Maternitas divina proprietas est, quae nonnisi cor- 63.
pus B. Virginis afficiat, ideoque mere corporalis est; gratia autem sanctificans in sola anima residet atque penitus supernaturalis et spiritualis est. Iamvero spirituale praestat prae corporali. Ergo etiam gratia sanctificans prae maternitate divina praestat. — *R. primo:* ex eodem principio item inferri posset, gratiam sanctificantem praestare etiam prae unione hypostatica, quatenus haec corpus humanum Christi afficit; quod nemo dicet. — *Praeterea* falsum est, maternitatem divinam esse proprietatem mere corporalem B. Virginis; etenim recte et adaequate concepta potius totam personam B. Virginis afficit atque ut filiatio proprietas personalis est atque unionem cum Filio Dei arctissimam dicit, ut supra probatum est. Haec autem unio vel proprietas fundatur quidem in aliquo, quod corporale est, scilicet in

conceptione et generatione; verum ipsa haec conceptio et generatio non est mere corporalis, sed actum humanum B. Virginis subaudit et includit, scilicet liberum ejusdem consensum et electionem divinam; quare S. Patres dicunt, B. Virginem prius mente quam corpore concepisse. Maternitas igitur divina nequaquam qualitas mere corporalis est, sed proprietas personalis atque etiam spiritualis. Quae cum ita sint, commode intelligitur, maternitatem divinam saltem in ratione dignitatis longe praestare prae gratia sanctificante, etsi haec in ratione entitatis vel perfectionis physicae praeferenda esse concedi possit.

64. *4) Si maternitas dignitatem infinitam dicat, B. Virgo pro peccatis generis humani condigne satisfacere potuisset; atqui hoc ipsum prorsus improbabile apparet, utpote quod nulla solida auctoritate innititur atque necessitati et aestimationi satisfactionis Christi multum derogaret; ergo dignitas B. Virginis-Matris vero sensu infinita esse non videtur.* — *R.:* Duplici modo haec objectio solvi potest: scilicet primo ex asserta infinita dignitate B. Virginis non consequitur, eandem pro peccato gravi ullo condigne satisfacere posse, vel secundo saltem non consequitur, ab eadem praestari posse satisfactionem condignam pro omnibus totius generis humani peccatis. In utroque autem casu salva manet necessitas et aestimabilitas satisfactionis Christi. Ergo.

65. Itaque *primo* responderi potest, B. Virginem-Matrem, quamvis ejus dignitas infinita sit, neque tamen satisfacere posse condigne pro ullo peccato gravi; qua ratione theologi, si quidem hanc quaestionem tractant, communius procedere videntur. Ratio autem hujus sententiae hujusmodi est: cum gravitas offensae commensuretur dignitati personae offensae, gravitas offensae divinae sive peccati per ipsius Dei dignitatem commensuratur; valor autem satisfactionis dignitati personae satisfacientis respondet. Sed B. Virgo, quamvis infinitam habeat dignitatem, semper tamen manet inferioris ordinis, quam est Deus. Ergo peccatum habet gravitatem superioris ordinis, quam opera satisfactoria B. Virginis. Quare B. Virgo pro peccato gravi satisfactionem condignam exhibere nequit. Atque ita per infinitam B. Virginis dignitatem

necessitati et aestimabilitati satisfactionis Christi nulla ratione derogari manifestum est. Ita rem declarat v. g. *Sedlmayr*, Theologia Mariana. p. 3. 9. 2 a. 7.

Verum *secundo* etiam responderi potest, B. Virginem 66.
satisfactionem exhibere posse condignam pro uno quidem peccato vel etiam pro peccatis pluribus certo et finito numero contentis, nequaquam autem pro peccatis indefinite multis neque pro peccatis humani generis totius omnibus: atque insuper totam virtutem satisfactoriam B. Virginis ex satisfactione et meritis Christi pendere et provenire. Ratio autem hujus sententiae his continetur: Gravitas peccati in ratione offensae infinita quidem est, sed infinita solum secundum quid, ut explicatum est in Soteriologia (th. 34. n. 13. ss.): dignitas vero B. Virginis pariter est infinita secundum quid; quare idem etiam de operationibus ejusdem dicendum est, scilicet valorem meritorium et satisfactorium secundum quid infinitum habent. Quare nihil obstare videtur, quominus B. Virgo uno actu pro uno peccato et pluribus actibus pro pluribus peccatis condigne satisfacere potuerit, cum scilicet ita aequalitas vel condignitas inter offensam et satisfactionem servari videatur. Neque vero pro peccatis indefinite multis neque pro peccatis hominum omnibus satisfacere potuisset, quia tot peccata actus possibiles satisfactorios B. Virginis non quidem intensive sed extensive excedunt. Deinde autem totam hanc B. Virginis virtutem satisfactoriam ex satisfactione et meritis Christi provenire manifestum est, quia etiam B. Virgo a Christo redempta est redemptione utique praeventiva. Denique B. Virgo reipsa non satisfecit pro ullis peccatis, quia Christus unicus et universalis omnium Redemptor a Deo ordinatus est. Quae cum ita sint, etiam in hac altera responsione vel explicatione necessitas et aestimabilitas satisfactionis Christi omnino salvae manere facile perspiciuntur.

Atque *tertio* haec altera responsio verior esse videtur. 67.
Nam prima responsio in eo fundatur, quod pro offensa alicujus personae condigne satisfacere nequit nisi persona ejusdem ordinis vel dignitatis cum persona offensa: atqui hoc

immerito asseritur; nam ad satisfactionem condignam nihil aliud requiri potest, nisi ut obsequium satisfactorium exhibitum adaequet et plene compenset offensam illatam: vel aequalitas quidem inter offensam et satisfactionem, non autem necessario inter personam offensam et personam satisfacientem requiritur, dummodo illa sine hac exstare possit. Hoc autem negari posse non videtur; secus enim inferior superiori a se offenso nunquam condignam satisfactionem exibere posset, quod nemo dicet. Scilicet sicut gravitas offensae mensuratur quidem per dignitatem personae offensae, sed etiam ab indignitate facti et modo quo attingitur persona offensa pendet; ita etiam valor satisfactionis mensuratur quidem per dignitatem personae satisfacientis, sed simul a praestantia actionis satisfactoriae in ratione obsequii honorifici dependere intelligitur. Qua ratione fieri posse videtur, ut etiam deficiente aequalitate inter personam offensam et personam satisfacientem, nihilominus inter offensam et satisfactionem adaequatio habeatur. cf. De Verbo Incarnato th. 34.

68. 5) *Effectus non praecedunt causam neque germina radicem, ex qua progerminant; atqui B. Virgo ab initio suae existentiae aliis quidem gratiis et privilegiis exornata fuit, mater Dei autem demum postea evasit; ergo maternitas divina non est causa vel radix omnium aliarum gratiarum et privilegiorum ejusdem B. Virginis, ut in 3. p. assertum est. — R. d. maj.:* Effectus et germina non praecedunt causam efficientem et radicem physicam *c.;* non praecedunt causam finalem et radicem moralem *sbd.* natura vel intentione *c.* tempore *n.*; et concessa minore *cd.* consequens: maternitas divina non est causa efficiens vel radix physica aliorum privilegiorum et gratiarum *c.* non est eorundem causa finalis vel radix moralis *n.* Scilicet ad rectam rei intelligentiam apprime considerandum est, B. Virginem ab aeterno simul cum Christo Redemptore a Deo praedestinatam esse tamquam ejus matrem ita, ut in consiliis et decretis divinis Christus et Maria sint omnino inseparabiliter conjuncti. Propter hanc igitur praeordinationem divinam B. Virgo primo suae existentiae instanti iis gratiis et praerogativis exornata

est, quae matrem Dei decebant et quibus digna tanto filio esset; similiter domus regi ut habitaculum destinata ea ratione construitur et exornatur, ut palatium rege dignum evadat. Qua ratione sicut redemptio influxu suo sanctificavit etiam homines antea viventes, ita etiam maternitas divina radix vel causa exstitit gratiarum B. Virgini antea collatarum.

Imo vero, ut mox inferius magis explicandum est, **69**
B. Virgo vera quadam ratione ab initio suae existentiae dignitate maternitatis insignita fuit; scilicet mater Dei erat ante Filii sui conceptionem et generationem non quidem actu physice, sed divina praedestinatione et moraliter, ita ut haec dignitas inde a conceptione B. Virginis tamquam character personalis ejusdem appareat, sine quo nec esset nec recte conciperetur. Et revera B. Virgo ideo tantum secundum immutabile Dei consilium existentiam accepit, ut redemptor ex ea nasceretur. Quare Filius Dei aeternus B. Virginem ab ingressu ejusdem in hunc mundum tamquam matrem suam consideravit, in carne et sanguine ejusdem suam carnem et sanguinem vidit, eandem ut matrem amavit sibique consecravit et univit vinculo morali vel spirituali, quod alias matrem et filium demum post hujus conceptionem et generationem unire solet. Qua ratione fit, ut B. Virgo jam ab initio suae existentiae appareat tamquam mulier amicta sole vel dignitate maternitatis divinae vera quadam ratione insignita. Quae cum ita sint, objectio allata aliaeque similes radicitus evulsae esse commode intelliguntur.

Articulus tertius.

De Matris Dei ad singulas personas divinas relationes.

Thesis 3. **Cum maternitate divina connexum est, quod B. Virgo specialibus prorsus relationibus cum singulis personis SS. Trinitatis intime colligatur.**

Declaratio.

Argumentum et divisio thesis. — Cum Deus sit **1.**
ipsa majestas et dignitas infinita adeoque etiam omnis alterius

majestatis et dignitatis fons atque mensura, creatura quaevis eo majorem dignitatem habet vel altiorem in scala entium gradum occupat, quo magis ad Deum appropinquat et arctius cum eo unitur. Quare, ut sublimis B. Virginis-Matris dignitas quam perfectissime cognoscatur, cum maternitate divina in consideratione theologica jungendae sunt aliae proprietates vel relationes cum eadem connexae, quibus B. Virgo ad divinitatem et quidem non solum ad Deum Filium sed etiam ad Deum Patrem et Deum Spiritum Sanctum singulari modo refertur et intime cum iisdem unitur.

2. Quas intimas cum SS. Trinitate relationes innuit Pius P. IX. in Bulla Ineffabilis, ubi mox ab initio B. Virgo exhibetur tamquam „venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit."

3. Omnes autem illae cum SS. Trinitate relationes singulares non inepte uno verbo ita comprehenduntur, ut B. Virgo maternitate sua, qua cum Filio suo secundum humanam naturam spectato consanguinea est, *cum ipsa divinitate vel cum personis divinis in se spectatis affinitatem habere* dicatur (cf. th. 2. n. 30.). Atque apprime considerandum est, hanc affinitatem multo arctius B. Virginem-Matrem cum ipsa divinitate conjungere, quam homines inter se ejusmodi affinitate conjunguntur. Affinitas enim cognatio illa est, quae per matrimonium resultat non inter ipsos sponsos vel maritos, sed inter alterutram partem et alterius consanguineos. B. Virgo-Mater igitur eo ipso, quod cum Filio suo secundum humanam naturam spectato consanguinitatem habet, cum ipso secundum divinitatem spectato necnon cum Patre atque Spiritu Sancto affinitatem contrahere dicenda est; nam unio hypostatica a S. Thoma (S. th. 3. p. q. 30. a. 1.) et ipsis SS. Patribus merito tamquam matrimonium spirituale inter Filium Dei et humanam naturam consideratur. Atque haec

affinitas etiam B. Virginem-Matrem multo arctius cum divinitate vel divinis personis conjungit, quam ulla affinitate homines inter se copulari possunt. Nam fundamentum illius affinitatis divinae, matrimonium spirituale unionis hypostaticae, efficit unam personam physicam, cum matrimonium humanum affinitatis humanae fundamentum, nonnisi unam personam moralem vel juridicam constituat; praeterea, quod etiam ad affinitatem illam divinam B. Virginis cum Patre et Spiritu Sancto arctiorem reddendam confert, Filius Dei cum iisdem personis unitate naturae physicae copulatus est, cum cognati homines nonnisi naturam specifice eandem et connexionem carnis et sanguinis habeant. Quare divina illa B. Virginis affinitas etiam sub hoc respectu prae omni affinitate humana aperte praestare invenitur.

4. Verum his de arctissima B. Virginis-Matris cum SS. Trinitate copulatione magis generali modo notatis jam accuratius atque in specie magis singulares relationes considerandae veniunt, quibus eadem ad singulas personas SS. Trinitatis refertur atque intime cum iisdem unitur. Quae consideratio proprium hujus thesis argumentum constituit. In 1. igitur parte relationes B. Virginis cum Filio Dei et suo absolventur et uno conspectu exhibentur, quippe quae maximam partem jam explicatae sunt; in 2. parte B. Mater in suis ad Deum Patrem relationibus consideratur; in 3. denique parte relationes inter Spiritum Sanctum et B. Virginem examinandae sunt.

Demonstratio.

I. p. B. Virgo ad Deum Filium refertur tamquam mater, domina atque sponsa.

5. ***1. Mater Dei Filii est praestantissima ratione.*** — De qua re, cum in praecedentibus thesibus jam luculenter tractatum sit, hoc loco pauca supplenda vel urgenda sunt, quae ad praestantissimam hujus maternitatis excellentiam magis penetrandam multum faciunt:

1) Momentum primum. — B. Virgo-Mater in ipsa ratione maternitatis excellit, quatenus magis mater Christi est,

quam ullae matres filiorum suorum. Etenim cum aliae matres filiis suis nonnisi partem substantiae carnis et sanguinis communicent, quia alteram partem patres subministrant; econtra B. Virgo sola excluso patre totam substantiam carnis et sanguinis Filio suo donavit adeoque in ipsa ratione maternitatis mere physicae egregie praestat. Quod ponderatione sane dignum est jam ideo v. g., quia hinc etiam major amor maternus in B. Matre et major amor filialis in Filio consequatur necesse est, ut recte declarat Eadmerus in expositione jam supra allata (Thes. 2. n. 58.).

6. 2) *Momentum alterum.* — Accedit aliud momentum, quo pariter B. Virgo in ipsa ratione maternitatis praestat. Nimirum ex una parte ceterae matres personam concipiunt et pariunt, quae demum cum ipsa conceptione oritur, atque dum concipiunt atque utero gestant prolem, nesciunt qualis sit sc. filius aut filia neque futuram ejusdem indolem et vitam norunt; ex altera autem parte ipsa proles concepta etiam spectatis facultatibus intellectivis paulatim se evolvit ita, ut demum post annos ratione utatur; quare nullum est nec potest esse inter matrem et prolem in utero commercium humanum, nulla relatio proprie personalis; sed quae relationes inter matrem et prolem humanas et personales reddunt: mutuus amor, providentia, cura, obedientia, pietas demum postea oriuntur. — B. Virgo autem econtra ex sua parte personam jam subsistentem et aeternam Filii Dei concepit atque hic Filius a B. Virgine conceptus inde ab ipsa sua humana conceptione etiam in natura sua humana pleno usu rationis fruebatur, imo plenus erat gratia et veritate ita, ut omnes thesauri sapientiae in ipso essent absconditi; atque ex altera parte ipsa B. Virgo plene perspectum haberet, quam prolem conciperet et in beatis suis visceribus gerebat, quippe quae nonnisi in conceptionem Filii Dei Redemptoris consensum suum exhibuerat. Quare statim inde a conceptione inter B. Matrem et prolem divinam potuit esse et sane erat commercium personale, imo in ipsa conceptione jam exercitum est, quippe in qua Filius Dei B. Matri se dedit Filium atque B. Mater Filio Dei carnem dedit et sangui-

nem; quod commercium admirabile divino-humanum numquam desinit sed usque in aeternum perdurat.

3) Momentum tertium. — Cum momento altero nunc explicato aliud cohaeret aeque grave vel gravius potius: nimirum maternitas divina corporali connexione vel conceptione et generatione nequaquam plene constituitur, sed multo magis, quam quaevis alia, essentialiter personalem inter Matrem et Filium relationem atque intimam unionem comprehendit et supponit. Etenim cum in conceptione mere humana matris persona filii demum oriatur atque deinde nata familiae matris aggregetur et bonorum juriumque ejusdem particeps fiat, in conceptione benedicta B. Virginis oppositum prorsus contingit: Nimirum persona Filii Dei ab aeterno existens in tempore ad B. Virginem se demittit eamque ad se elevat atque carnem ex ipsamet assumens se ipsum illi Filium donat atque eandem matrem suam constituit. Quod certe intimam comprehendit inter Filium et Matrem unionem, qua haec in unitatem personae non quidem physicae, ut caro assumpta, sed juridico-moralis assumitur, familiae divinae inseritur atque bonorum et jurium ejusdem in tantum particeps redditur, in quantum persona creata reddi potest. Quare maternitas divina adaequate concepta praeter corporalem conceptionem et generationem insuper personalem et intimam cum Filio Dei relationem atque arctissimam unionem personalem postulat et comprehendit. Imo haec unio personalis, qua B. Virgo a Verbo divino sibi intime sociatur et copulatur in unitatem quandam unius personae juridico-moralis, ut ratione vel natura prior concipienda est, quam carnalis conceptio, quia haec postulat et supponit, ut Filius Dei B. Virginem specialissimo modo sibi elegerit et copulaverit. Simili modo in matrimonio humano unitas juridico-moralis sponsorum vel matrimonium ratum ipsam unionem carnalem vel matrimonium consummatum et prolis conceptionem praecedit. Quare SS. Patres maternitatem divinam tamquam matrimonium quoddam spirituale et divinum inter Filium Dei et B. Virginem consideraverunt atque hanc etiam

sponsam Filii Dei vel Verbi vocare non dubitaverunt; quod infra magis explicabitur.

8. *4.) Momentum quartum.* — Hoc momento tertium completur. Nimirum illa unio personalis intima, quam maternitas comprehendit, conceptione et generatione carnali, ut jam supra breviter indigitatum est, non tantum ratione vel natura, sed etiam tempore prior est; imo vero B. Virginem-Matrem ab initio existentiae suae cum Verbo divino univit. Etenim non solum ab aeterno a Deo praeelecta et praedestinata est, ut mater Filii Dei in tempore fieret: verum etiam nonnisi propter hanc ipsam rationem ipsa ejus existentia praedefinita et in tempore effecta est. Quod tum typis et vaticiniis B. Virginis in scripturis V. L. et relationibus in scriptura N. L. exstantibus satis innuitur, quippe in quibus semper nonnisi cum Filio suo sociata apparet, tum a Patribus et Doctoribus directe asseritur, necnon a Pio IX in Bulla *Ineffabilis* satis clare significatur: ut inferius luculentius ostendetur. Quare secundum praedestinationem divinam ab initio existentiae suae in matrem Filii Dei consecrata apparet eique ut talis appropriata atque intime unita esse credenda est. Sane nulla ratio afferri potest, ob quam intima haec unio et consecratio Beatae Virginis ad tempus differretur. Verum eandem ab initio existentiae illius effectam esse, manifesto ostendunt immaculata ejusdem conceptio aliaque gratiae dona ab initio collata. Huc spectant, quae egregie disputat *Salmeron:* „Mariae maternitas conceptionis illius comes fuit et administra. Quid sublimius? Quid augustius quam divina maternitas, qua virgo Deipara vere dicitur et est vera Dei genetrix? Vis nosse puritatem et dignitatem immaculatae conceptionis Deiparae? Non reputes temporis divortium inter Mariae conceptionem et Dei maternitatem. Nam etsi conceptio . . . annorum spatio maternitatem anteverterit, in Dei tamen mente et mysteriorum praevisione maternitas conceptionis est comes, nec computanda est sine maternitate conceptio: concipitur enim mox Dei mater digne futura. Unde divina maternitas futura Dei matris conceptioni adest, ut affinitatem cum peccato prae-

propere arceat, et avertat. Nec tantum divina maternitas comes est, sed etiam Marianae conceptionis administra: scilicet tantus gratiae et gloriae nitor in Deiparae purissima conceptione emicat, ut Dei maternitas, quae est omnium Mariae gratiarum matrix, non dedignetur puritati conceptionis veluti ministrare: si quidem singulare et perillustre gratiarum omnium privilegium in conceptione Virgini praemature concessum, ex divina maternitate auguste nascitur: gratia enim tunc naturam praepropere antevertit, ut digna Filii Dei Mater conciperetur. Ergo infinita dignitas et gratia divinae maternitatis veluti comes et administra adest immaculatae virginis Deiparae conceptioni" (T. 3. in evang. tract. 30).

5.) *Momentum quintum.* — Accedit tandem ut momen- 9.
tum etiam sedulo considerandum, quod Filius Dei ex Beata Virgine carnem humanam assumpsit eamque matrem suam constituit in eum finem, ut in ea carne patiens et moriens humanum genus redimeret; quod igitur ipsa est mater Filii Dei Redemptoris. Cum hoc enim connectitur, quod et ipsa vera quadam ratione in redemptione peragenda Filio suo sociata et ad eandem cooperata est, atque ea ratione mater spiritualis hominum redemptorum evasit, ut inferius luculentius demonstrabitur. Hoc autem modo maternitas divina pariter insigni splendore refulget. Quare sub hoc respectu etiam maxime a Patribus et Doctoribus celebratur. Audiatur v. g. *S. Anselmus:* „Omnis natura a Deo est creata et Deus ex Maria est natus. Deus omnia creavit et Maria Deum genuit. Deus, qui omnia fecit, ipse se ex Maria fecit et sic omnia quae fecerat refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere. Deus igitur est Pater rerum creatarum et Maria mater rerum recreatarum. Deus est Pater constitutionis omnium, et Maria est mater restitutionis omnium. Deus enim genuit illum, per quem omnia sunt facta, et Maria peperit illum per quem omnia sunt salvata. Deus genuit illum, sine quo penitus nihil est, et Maria peperit illum, sine quo nihil omnino bene est. O vere Dominus tecum, cui dedit Dominus ut omnis natura tibi deberet eum" (Orat. 52. al. 51. ad S. V. M.).

10. *6.) Momentum sextum.* — Denique, quod ex praecedentibus jam patet, gratia maternitatis non tantum B. Virgini jam diutius existenti accidentaliter vel contingenter accedit, sed est ipsa ratio unica existentiae ejusdem, sicut humana Christi natura nonnisi propter personalem cum Verbo divino unionem existit; atque ideo haec gratia maternitatis B. Virginem constituit personam ordinis superioris et supernaturalis, atque eam revera insignit tamquam character personalis non eadem quidem, sed analoga ratione, ac humana Christi natura sub ratione personalitatis constituitur per gratiam unionis hypostaticae vel potius per Verbum divinum eadem ipsi unitum. Imo maternitas divina imitatur quadam ratione ipsam Paternitatem divinam: sicut enim Deo Patri idem est esse ac Patrem esse ita, ut ne concipi quidem possit personaliter, quin ut Pater Filii aeterni cogitetur, ita B. Virgo non concipitur nec adaequate nec recte, quin relatio maternitatis ad Filium Dei simul animo obversetur. Multo igitur arctius B. Virgo refertur ad Filium suum, quam inter homines mater ad filium, vel sponsa ad sponsum, utpote quarum utraque a termino correlato independenter existit atque cum eodem demum diu post acceptam existentiam unitur. — Quare gratia maternitatis iterum non eadem quidem sed analoga ratione ac unio hypostatica dici potest substantialis et essentialis; quatenus scilicet *primo* includit vel dicit ipsum Filium Dei, qui se substantialiter vel personaliter B. Virgini tamquam filium donat; et quatenus *secundo* infert substantialem connexionem physicam et relationem personalem inter Matrem et Filium; et quatenus denique *tertio* B. Virgo per eandem gratiam maternitatis ita essentialiter est consecrata et associata Filio Dei inde a conceptione sua, ut sine ea unione ne existeret quidem. Atque maternitas hac ratione concepta multo melius et egregie intelligitur esse, quod supra jam statutum est, prima et fundamentalis gratia atque radix et ratio aliarum praerogativarum B. Virgini collatarum, analoga iterum ratione ac unio hypostatica est radix et fundamentum ceterarum gratiarum, quibus humana Christi natura exornata est.

Quae cum ita sint, B. Virgo-Mater aptissime et plastice exhibetur sub imaginibus mulieris amictae sole, vel nubis lucidae vel etiam templi, sanctuarii, vasis spiritualis, quo ipse Dei Filius continetur. Apposite ad primam et alteram comparationem *S. Bernardus:* „Quam familiaris ei facta es, Domina, quam proxima; imo quam intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud eum. In te manet et tu in eo; et vestis eum et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suae majestatis. Vestis solem nube, sole ipsa vestiris“ (Sermo de 12 praerog. n. 6.). Et iterum: „Iure Maria sole perhibetur amicta, quae profundissimam divinae Sapientiae ultra, quam credi valeat, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa“ (Ibid. n. 3.). 11.

2. B. Virgo relate ad Filium Dei incarnatum vel puerum Iesum relationem Dominae vel maternam auctoritatem habuit. — Haec est altera insignis praerogativa B. Virginis ex divina maternitate aperte fluens. 12.

1. Verumtamen illa auctoritas sano et sobrio sensu intelligenda est. — Et *primo* quidem B. Virgo sane auctoritatem dicitur habuisse in Filium suum spectatum non secundum naturam divinam, sed secundum naturam humanam. *Praeterea* aliter ac alii filii Filius B. Virginis libere divina sua saltem voluntate huic maternae auctoritati se subdidit, quatenus ex B. Virgine nasci, tamquam infans adolescere, infirmitatibus infantiae subdi et curis matris indigere dignatus est. *Deinde* auctoritas materna B. Virginis vitam quidem corporalem et domesticam, non autem divinam Christi missionem comprehendebat, quo spectant praeter alia et illa pueri Iesu in templo inventi verba: *Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse* (Luc. 2, 49). *Denique* sicuti alii filii, quando adoleverunt eorumque formatio finita est, auctoritati matris, ratione ejusdem cessante, jam subesse desinunt; ita etiam Christus postquam ad aetatem viri perfecti pervenit et praesertim inde a vita publica ab auctoritate matris pendere jam noluit, verum nunquam cessavit

eidem filialis reverentiae, pietatis et amoris obsequia exhibere atque etiam nunc in coelo ejus precibus et desideriis incomparabiliter magis quam ullius alterius creaturae certissime defert.

13. 2. *Porro B. Virgini auctoritatem maternam ita restrictam vel definitam, cui puer Iesus de jure esset subjectus, reipsa convenisse, indubium esse videtur.* — Et *primo* quidem id satis clare docet scriptura, quando de puero Iesu refert: *Et erat subditus illis* (Luc. 2, 51.). Etenim haec pueri Iesu subjectio vel obedientia ab Evangelista praedicata in parentibus praesertim in matre aliquam auctoritatem supponit; ubi enim nulla est auctoritas, rationabiliter nulla potest esse subiectio. — *Secundo* eadem doctrina apud SS. Patres et Doctores invenitur. *Ambrosius* e. g. haec habet: „Quid enim magister virtutis, nisi officium pietatis impleret? Non utique infirmitatis, sed pietatis ista subjectio est“ (In Luc. hom. 2.). Similiter *Basilius:* „In prima aetate subditus parentibus, omnem laborem corporalem mansuete et obedienter sustinuit . . . Iesus autem his subditus, velut ait scriptura, omnino etiam simul perferendo labores obedientiam declarabat“ (constit. monast. c. 4.). Item *S. Ambrosius:* „Hoc magnum fecit in Virgine, ut per hanc Deus fieret homo, Verbum fieret caro, et Filius Dei factor omnium fieret filius matris, quam ipse formaverat essetque Dominator nascendo subditus ancillae, quam ipse condiderat, sicque ancilla haberet potestatem in subditum Dominum“ (Lib. de virginit, Mariae c. 8.). Deinde *S. Bernardinus Sen.*: „Haec erat vera propositio: Imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus“ (Serm. 3. De nomine Mariae). Denique *Gerson:* „Melius eam appellare non possumus, quam Matrem Dei, quoniam per hoc habet velut auctoritatem et naturale dominium ad totius mundi Dominum, et a fortiori ad omne id, quod huic subjectum est Domino“ (Serm. de Annuntiat.). — *Tertio* idem ex ipsa natura rei vel ex ratione interna maternitatis constare videtur. Scilicet ipse ordo naturae postulat, ut filius, quamdiu emancipatus non est, matri obsequium et obedientiam praestet, tum quia ab ea substantiam

carnis accepit, tum quia ab ea in formatione et evolutione corporali pendet, quamdiu in virum perfectum non adolevit. Unde auctoritas matris, cui ex parte filii non solum pietas et reverentia, sed etiam ad tempus saltem subjectio et obedientia respondet, apud omnes gentes etiam barbaras viget et omnium cordibus inscripta est. Ergo etiam B. Virgo in Filium suum, puerum Jesum, maternam auctoritatem habuit, cui ex parte Filii subjectio et obedientia respondebat; etenim in hac subjectione nulla continetur vilitas vel indecentia vel infirmitas, sed observantiae potius et pietatis virtus resplendet. Neque contra hanc rationem dici potest cum aliquibus theologis, Christum etiam secundum naturam humanam spectatum propter ejus unionem cum Verbo emancipatum fuisse ab omni potestate regum, magistrorum, sacerdotum; ergo similiter exemptum fuisse a materna potestate. Etenim Christus supremus erat rex et magister et sacerdos et ideo sub hoc respectu nemini potuit esse subjectus; sed sub ratione generationis corporalis reipsa subjectus est Matri; unde nulla esse intelligitur paritas vel consequentia. Ceterum ipsi hi theologi ipsam rem, i. e. jus auctoritatis maternae in B. Virgine et officium subjectionis in Filio non negant, verum nobiscum confitentur atque solummodo ex alio fundamento illud jus et hoc officium derivant; scilicet ipsam voluntatem humanam Christi tamquam fontem hujus officii et illius juris exhibent, cum, quominus ex ipsa maternitate progerminet, per unionem hypostaticam impediatur. Verum ex maternitate convenientiam saltem illius auctoritatis et officii haberi, nimis apertum est, quam ut etiam ab ipsis illis theologis negetur vel negari possit. Quare haec theologorum differentia, cum non ipsam rem spectet, sed potius demonstrationem ejusdem ex ratione theologica, minoris momenti est. Manet scilicet, quod caput est: merito asseritur, quod ex natura rei etiam conveniens saltem, nisi necessarium apparet, B. Virginem in puerum Iesum maternam auctoritatem habuisse, cui ex parte Filii officium non solum pietatis, sed etiam subjectionis et obedientiae responderet.

14. *3. Quanta autem B. Virgini-Matri ex hac auctoritate materna resultet dignitas, in aperto positum est.* — Apposite *S. Bernardus* verbis supra jam partim relatis: „Deus, cui Angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt, subditus erat Mariae, nec tantum Mariae, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige, quid amplius mireris: sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrimque stupor, utrimque miraculum. Et quod Deus feminae obtemperet, humilitas absque exemplo: et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod *sequuntur agnum quocumque ierit* (Apoc. 14, 4.). Quibus ergo laudibus judicas dignam, quae etiam praeit" (Hom. 1. super *Missus est* n. 7.) cf. Dionysius Carthusian., De laudibus vitae solitar. a. 29.

15. ***3. B. Virgo-Mater relate ad Filium Dei incarnatum etiam relationem sponsae non uno tantum ex capite habet.*** — Mirum quidem videatur, quod B. Virgo, cum mater Filii Dei sit, etiam sponsae ejusdem rationem habeat: sed reipsa non raro *a Patribus et Doctoribus* ut talis nuncupatur. Ita v. g. *S. Ephraem Syrus* B. Virginem-Matrem ad Filium suum recenter natum sic loquentem inducit: „Equidem sum soror tua, quo amborum nostrorum proavus est David, et quo te concepi etiam mater, sponsa quoque per tuam sanctitatem" (Serm. in nativit. Domini). Item *Joannes Geometra*: „Salve quae invia adis et sola penetras inaccessa, ut sponsa in abscondita sponsi penetralia admissa" (Hymn. 2. in Deiparam). Deinde *Modestus Hierosolymit.* de Virgine in coelum exaltata scribit: „In coelestem thalamum ingressa est illa, quae facta est gloriosissima sponsa unionis hypostaticae duarum naturarum Christi veri sponsi coelestis, cujus admirandam desiderant pulchritudinem sanctae omnes coelorum potestates" (Encom. in Deipar. dormit. n. 3.). Et *Petrus Chrysologus*: „Pervolat ad sponsam festinus interpres (Gabriel), ut a Dei sponsa humanae desponsationis arceat et suspendat affectum, nec auferat a Joseph virginem, sed reddat Christo, cui est in utero oppignorata,

cum fieret" (Serm. 140 cf. Serm. 116.). Necnon *Fulbertus Carnotensis:* „Altior coelo est, de qua loquimur, abysso profundior cui laudes dicere conamur. Haec est enim, quae sola meruit mater et sponsa vocari. Haec primae matris damna resolvit, haec homini perdito redemptionem adduxit" (Orat. in Deipar. assumpt.). Atque auctor ignotus sermonis 12 in appendice ad opera *S. Maximi Taurinensis:* „Videamus itaque, quae sit haec Virgo tam sancta, ad quam Spiritus Sanctus venire dignatus est; quae tam speciosa, quam Dominus elegit sponsam." Denique etiam in *hymnis latinis* B. Virgo-Mater sponsa Filii sui vel Christi praedicatur, ut v. g.: „Te nunc suppliciter, sancta Theotocos. — Regis perpetui sponsaque poscimus, — Ut nos semper ubique — Miti munere protegas. Jesu Christi mater, — Virga stirpis Jesu — Sponsa Deo digna — Salve salus nostra. O sponsa Christi fulgida, — Regina coeli inclyta, Virgo prudentissima — Et mater Dei intacta — (Adalb. Daniel, Thesaurus hymnol. I p. 246.). Multa alia testimonia inveniuntur apud *Maracci,* Polyanthea Mariana, s. h. v.

Sed etiam in ipsa *Liturgia ecclesiastica* B. Virgo- **16.**
Mater sponsae titulo decoratur. Scilicet usu liturgico in diversis festis canticum canticorum secundum diversa mysteria vel relationes cum Filio suo ad B. Virginem applicatur, qua ratione sane tamquam sponsa Dei Filii exhibetur atque etiam expressa ratione vocatur. Verbi gratia ad Immaculatam conceptionem referuntur verba: *Tota pulchra es, et macula non est in te* (4. 7.): ad intemeratam virginitatem: *Hortus conclusus soror mea sponsa* (4, 12); ad Incarnationem: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum* (4. 9); ad Nativitatem: *Ecce tu pulchra es, amica mea; ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum* (1. 1); ad Circumcisionem: *Oleum effusum nomen tuum;* denique aliis pluribus praetermissis ad assumptionem: *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis* (4, 8.). Itaque manifestum prorsus est, B. Virginem non raro tantum, sed frequenter in fontibus theologicis tamquam sponsam Verbi

vel Christi exhiberi. Restat igitur, ut rationes hujus appellationis paucis explicentur:

17. 1. *Ratio prima.* — Haec in intima illa, quam maternitas refert, unione personali et spirituali continetur supra jam exhibita, quam SS. Patres et Doctores tamquam desponsationem vel matrimonium spirituale et divinum considerarunt. Merito enim illam unionem ita exhiberi ideoque B. Virginem sub hoc respectu rationem sponsae Filii sui habere, ex analogiis quae vigent, satis consequi videtur. Videlicet *primo* sicut desponsatio vel matrimonium ratum inter homines praecedit matrimonium consummatum atque in hoc tendit et in eo absolvitur, ita intima illa unio personalis, qua Verbum divinum sibi copulavit B. Virginem a primo instanti existentiae ejusdem, tota directa est in Incarnationem vel assumptionem carnis ex eadem B. Virgine. *Praeterea* sicut sponsa a sponso vel marito quadam ratione in unitatem personae juridicae adoptatur, familiae ejus aggregatur atque jurium et bonorum ejusdem magnam partem particeps evadit; ita etiam B. Virgo intime cum Filio Dei conjuncta, quodammodo familiae divinae inserta necnon bonorum divinorum, quantum creata persona fieri potest, particeps reddita est. *Denique* haec unio B. Virginis cum Filio Dei proxime accedit ad unionem hypostaticam atque cum hac analogiam habet; ergo, ut haec solet, ita etiam illa tamquam matrimonium quoddam spirituale et divinum considerari et appellari potest. Iamvero haec, si rite considerentur, etiam aliis, quae adduci possent, nunc praetermissis satis ostendere videntur, B. Virginem etiam sola spectata maternitate sponsae Verbi nomine non immerito condecorari.

18. 2. *Ratio altera.* — Cum ratione prima modo proposita intime connectitur altera, ita tamen, ut formaliter diversa maneat. Quam insinuat *S. Thomas* ostendens „quod congruum fuit B. Virgini annuntiari, quod esset Christum conceptura.“ Inter rationes enim adductas quarta in eo est „ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam. Et ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanae

naturae" (S. th. 3. p. q. 30. a. 1.). Scilicet unio hypostatica Verbi divini cum humana natura non solum a S. Thoma sed etiam frequenter a SS. Patribus et aliis praeter S. Thomam doctoribus et theologis consideratur tamquam spirituale vel mysticum matrimonium, quod Filius Dei ad genus humanum salvandum et in consortium divinae naturae relevandum inivit non solum cum individua natura humana assumpta, sed in ea cum tota humanitate vel integro genere humano. Cum autem Deus dona sua praesertim supernaturalia non nolentibus obtrudat, sed creaturarum libertatem aestimans libere volentibus offerat et donet, etiam ad matrimonium illud unionis hypostaticae convenienter consensus generis humani requirebatur. Jamvero hunc consensum dare non potuit natura individua a Verbo assumpta, utpote quae ante unionem non existebat. Ergo nihil restabat, nisi ut B. Virgo loco vel nomine ejusdem et totius generis consensum illum praestaret, utpote ex cujus purissimis sanguinibus Verbum divinum carnem humanam assumpsit et sibi copulavit. Quem consensum B. Virgo reipsa praestitit, quando angelo mysterium incarnationis annuntianti respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Itaque B. Virgo tamquam vicaria generis humani necnon, quod etiam considerandum est, membrum praecipuum et maxime eminens ejusdem consensum in illud matrimonium spirituale et mysticum dedit. Qua ratione manifesto sub novo respectu a primo formaliter distincto tamquam sponsa Verbi apparet et merito a Patribus et Doctoribus celebratur. Quo spectare videtur testimonium supra ex Modesto Hierosolymit. relatum, in quo B. Virgo tamquam „sponsa gloriosissima unionis hypostaticae" exhibetur.

3. *Ratio tertia.* — Cum secundum rationem primam **19.**
et alteram modo adductas B. Virgo-Mater magis ad Verbum vel ad personam Filii spectatam solum secundum naturam divinam tamquam sponsa referatur; tertia ratio exstat, ob quam potius tamquam sponsa Christi Redemptoris merito consideratur et celebratur. Quae ratio, cum jam supra notata sit et inferius accuratius indagetur, hoc loco breviter

referenda est. Scilicet cum Christus sit alter Adam, qui passione sua et morte homines redemit atque ad vitam supernaturalem regeneravit, B. Virgo-Mater ex sua parte a SS. Patribus et Doctoribus consideratur tamquam altera Eva, quae *adjutorium simile* (Gen. 1, 18.) novi Adam eidem sociata est in illa regeneratione, atque ideo etiam ipsa vera quadam ratione homines renascendos concepit et peperit et continuo nutrit ac fovet. Quae cum ita sint, sicut generis humani renati Christus Pater est, ita B. Virgo exstat Mater; quare etiam sub hoc respectu Christus et B. Virgo-Mater merito tamquam sponsus et sponsa ad invicem referuntur.

20. 4. *Ratio quarta.* — Denique exhibenda breviter est etiam ratio, quae B. Virgini-Matri communis quidem est cum aliis sanctis personis, cum praecedentes eidem soli conveniant, verumtamen etiam ipsa eidem singulari prorsus modo convenit. Atque ratio haec in admirabili B. Virginis sanctitate invenitur, quae sub triplici respectu nomen sponsae fundat. Et *primo* quidem Patres et scripturae interpretes moraliter omnes sponsam in cantico canticorum intelligunt saltem etiam omnem animam justam Dei amore accensam; apposite *S. Bernardus:* „Sponsae nomine censetur anima, quae amat“ (In cantic. serm. 7. n. 2.). Deinde *secundo* ex usu loquendi ecclesiastico virgines Deo consecratae speciali modo sponsae Christi praedicantur, utpote quae se totas atque totum suum amorem Christo Salvatori manciparunt. Denique tertio, ut mystica christiana docet, quaedam animae sanctae supra modum ordinarium peculiari et intima et familiari quadam ratione cum Christo conjunguntur per matrimonium mysticum vel spirituale, ut dici solet, atque ideo speciali modo sponsae Christi praedicantur; quales fuerunt S. Catharina Senensis, S. Theresia et aliae plures. Jamvero sub his respectibus omnibus B. Virgo-Mater omnes alios Sanctos et Sanctas longe excedit: nulla enim profecto alia anima tanto et tam intenso ac flagranti amore Christum Salvatorem amplexa est, nulla virginitatem tam undique intemeratam eidem consecravit, nulla tam stupenda familiaritate cum ipso agere potuit. Quare B. Virgo-Mater etiam sub his respectibus om-

nibus eminenti ratione nomen sponsae Christi sibi vindicat, imo vero sponsae unicae nomen meretur. Unde ecclesia etiam ex hac ratione sponsam in cantico canticorum imprimis intelligit B. Virginem-Matrem atque ad eandem in variis officiis diversas illius partes vel sententias referre solet, quibus sponsa vel amica singulari prorsus ratione praedicatur et celebratur prae omnibus aliis, ut v. g.: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (2, 2.). — *Una est columba mea, perfecta mea* (6, 8.). — *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol* (6, 9.).

2. p. B. Virgo ad Deum Patrem refertur tamquam socia generationis Verbi incarnati necnon Filia unica.

Relationes pariter sublimes, quibus ad Deum Patrem refertur B. Virgo-Mater, ad duas apte reducuntur:

1. B. Virgo-Mater Deo Patri in generatione ejusdem Filii associata est. — Ad totam hujus relationis vim ac sublimitatem, quantum fieri potest, melius perspiciendam, *tria consideranda sunt:* Et *primo* quidem, cum Christus sit una persona ideoque unus Filius: propterea qui verus est Filius aeternus Dei Patris, idem prorsus in tempore etiam factus est verus Filius B. Virginis-Matris; vel quem Deus Pater genuit ab aeterno, eundem prorsus B. Virgo-Mater genuit in tempore. Quare iisdem prorsus quibus Deus Pater alloquitur Christum verbis: *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* etiam B. Virgo vero et proprio sensu eundem alloqui potest, dummodo a sola aeternitate termino *hodie* expressa abstractio fiat. Quae sublimis et stupenda praerogativa nulli alteri personae neque creatae neque increatae Spiritus Sancti, sed soli Virgini-Matri cum Deo Patre communis est. — *Secundo* considerandum est, quam intime conjunctae fuerint duae illae generationes ex Patre et matre: Nimirum cum generatio ex Deo Patre sit aeterna nec initium nec finem habens: B. Virgo genuit eum, qui semper est ideoque etiam in momento conceptionis humanae erat in sinu Patris; atque Deus pater eundem Filium in sinu Beatae

Virginis genuit secundum naturam divinam, quem B. Mater eodem momento generabat secundum naturam humanam ita, ut tamquam terminus geminae generationis exstaret Deus-homo; qua ratione B. Virgo-Mater ipsi generationi aeternae intime sociata apparet atque sinus ejusdem sanctuarium fuit, in quo non solum generatio humana, sed simul cum ea etiam divina generatio perficiebatur. Neque tamen imaginandum est, B. Virginem in ipsam aeternam generationem influxum exercuisse, ut aliqui incaute et absurde locuti sunt. — *Tertio* considerandum est, quam miram generatio humana ex B. Virgine similitudinem habeat cum generatione aeterna ex Patre, ita ut B. Virgo sub hoc respectu mirabilem Dei Patris imaginem exhibeat. Etenim sicut Deus Pater genuit Deum Filium ex sua substantia sine matre, ita B. Virgo eundem Filium ex sua substantia sine patre genuit; atque sicut Deus Pater Deum Filium generat sine ulla divinitatis mutatione, ita B. Virgo eundem Filium sine ulla suae virginitatis laesione concepit et genuit. — Denique *quarto* etiam illud considerari potest, quod ab aliquibus theologis notatur, B. Virginem quodammodo reddere Dei Filium Deo Patri subditum, quatenus scilicet illi humanam naturam exhibet, secundum quam inferior Patri eique subjectus est.

22. Iamvero his consideratis, manifesto patet, *quam sublimis sit ea B. Virginis cum Deo Patre unio, et quanta ex ea dignitas et excellentia ejusdem B. Virginis-Matris resultet.* Quare eandem magnifice exaltant et admirantur Patres et Doctores. Audiatur v. g. *Eadmerus*, S. Anselmi discipulus: „Hic se suberigat intentio mentis humanae, et pro posse paucis intendat, quanti penderit omnipotens Deus merita hujus Beatissimae Virginis. Intendat, inquam, et contempletur, videat et admiretur: unum Filium sibi consubstantialem, coaeternum, omnipotentem, ex sua natura sine initio Deus Pater genuit, et per eum omnes creaturas visibiles et invisibiles ex nihilo fecit. Hunc igitur sibi tam unicum, quam dilectissimum, et in omnibus omnino aequalem, non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum

voluit in rei veritate esse Beatae Mariae unicum et dilectissimum et naturalem filium, nec ita ut duo essent, unus videlicet Filius Dei, alius Filius Mariae, sed idem ipse qui Filius Dei in una persona esset Filius Mariae, et qui filius Mariae unus et idem esset in una persona Filius Dei. Quis haec audiens non obstupescat, et, quod Deus tale quid velle potuerit, non ultra omne quod dici potest admirabile ducat" (De excellentia B. M. c. 3.). Similiter *S. Bernardus:* „Ipsa est Virginis nostrae gloria singularis et excellens praerogativa Mariae, quod filium unum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem" (Serm. 2. in festo Annuntiat.). Et alibi iterum: „Quod verum Deum et Dei Filium genuit. ut idem ipse Dei atque hominis filius, unus omnino Deus et homo, prodiret ex Maria, abyssus est luminis: nec facile dixerim, quod vel angelicus oculus ad hujus fulgoris vehementiam non caliget" (Serm. super *signum magnum*). Item denique *B. Albertus M.:* „Quod Virgo et Mater Dei, quod nulla alia. In hujus enim praerogativa dignitatis non communicat ei homo, non Angelus, non alia creatura, sed sola cum Deo Patre dicere potest Filio Dei: *Filius meus es tu*" (De laudibus M. l. 3. § 8.).

Hoc loco *notatio quaedam addenda est* circa titulum 23.
quendam B. Virgini aliquoties quidem sed raro tributum. Nimirum cum illa ad Deum Patrem in generatione Filii associatione connectitur. quod aliquando B. Virgo appellata sit etiam *sponsa Patris.* Neque tamen hic titulus invaluit; et merito quidem. Ratio est, quia titulus ille ansam dare posset ad duplicem falsam imaginationem: prima est, quod conjunctio B. Virginis cum Deo Patre tamquam prior concipiatur ejusdem unione cum Deo Filio et tamquam fundamentum vel principium ejusdem, cum tamen reipsa oppositum potius obtineat: altera est, quod Deus Pater et B. Virgo in eadem generatione divina convenirent ideoque haec etiam a B. Virgine penderet: quod inane et absurdum figmentum jam supra notatum est. Insuper vero ad designandam illam in generatione Filii associationem, alii tituli multo aptiores exstant, ut statim dicetur.

24. ***2. Beatissima Virgo-Mater speciali prorsus ratione Filia Dei Patris est.*** — Cum associatione B. Virginis-Matris ad Deum Patrem in generatione Filii arcte connectitur titulus eidem Matri in monumentis ecclesiasticis et liturgicis frequenter tributus, utpote qui eandem vel cognatas habitudines exprimit; scilicet saepe praedicatur *filia Dei*, *filia Patris*, imo *sola Filia*, *primogenita*, *unigenita*. Quod quidem aliquibus exemplis vel testimoniis confirmandum ac deinceps paucis explicandum est.

1. Testimoniis nonnullis titulus iste exhibetur. — In antiquitate Graeci imprimis hoc titulo utuntur. Ita v. g. *S. Joannes Damascenus* B. Virginem-Matrem appellat *Filiam Deo caram, Filiam Deo dignam* (Hom. 1. in Nativit. B. V. M. n. 7.), *Filiam unicam* (Ap. Nicod. in Heortodrom. p. 661.), *Filiam primogenitam* (Hom. 1. in Nativit. B. M. V. n. 2.). — *S. Tarasius* eam vocat *unicam Dei Filiam* τὴν θεόπαιδα (Hom. in SS. Deiparae praesent. n. 7.). — Item *Ioannes Monachus* eadem ratione eandem ut *unicam Dei Filiam* exhibet (Orat. in Nativ. SS. Deiparae n. 4. ss.). — Similiter *S. Sophronius Hierosolymitanus* exclamat: „Arduum namque vere est humanae linguae, *o Dei Filia*, tuum canere partum divinitus mortalibus manifestatum" (Anacreont. I. in Deip. Annuntiat. vers. 5. 9. apud Mai Spicil. Roman. IV. p. 49). — Denique *Antipater Bostrens.* B. Virginem alloquitur: „Benedicta es inter omnes feminas, benedicta *tamquam filia unica*, quae genuisti unicum" (In Luc. 1. n. 14.).

25. Similiter Latini. Ita v. g. *antiqui tropi* prima stropha sic habet: „Candidissima uti lilia — Salve *aeterni Patris Filia* — Salve Mater Redemptoris — Salve sponsa Spiratoris?" Similiter multa alia medii aevi carmina. — Deinde a *Beato Alberto M.* vocatur *„Filia summa Dei"* in sese gloriae, gratiae et naturae, et in perfectissima imitatione habens plenitudinem sapientiae, gratiae, famae, exempli, patientiae, immunitatis culpae" (Super *Missus est* c. 211.). — *A Richardo a S. Laurentio* laudatur *„Filia summi Regis, i. e. Dei Patris,* per creationem gratiae, cujus gloria, quod hospita et triclinium totius Trinitatis" (De laudibus SS. V. M. l. 6.). — *A*

Laurentio Iustiniano praedicatur *Filia aeterni Patris* (serm. de Purific. B. V.), *Filia praedilecta aeterni Patris* (in Triumphali Christi agone c. 7.), *Filia praeelecta aeterni Patris* (serm. de Nativit. B. M. V.). — *Dionysio Carthusiano* est *Filia praecordialissima Patris aeterni* (De prec. B. M. V. l. 2. a. 14.) necnon „*Filia praedilectissima Dei omnipotentis,* quam ipse Deus misericordissime, paternaliter et incessanter custodivit, direxit et protexit in omnibus“ (De laud. B. M. V. l. 2. a. 18.). Et similiter alii plures, qui videri possunt apud Maracci, Polyanthea Mariana s. h. n.).

2. *Rationes ejusdem tituli explicantur.* — Si rationes **26.**
hujus tituli inquirantur, plures merito assignari possunt, quae eundem B. Virgini-Matri speciali ratione convenire ostendunt.

Et prima quidem ratio in eo continetur, quod ipsius Filii sponsa est sensu supra explicato necnon aliquando etiam soror dicitur. Cum hac enim habitudine sane connectitur, quod filiationem sponsi et fratris participet, ideoque etiam ipsa Filia Dei Patris merito dicitur. Item connexum est, quod aliquando, etsi raro nurus Dei Patris vocetur.

Altera ratio cum prima connexa sed formaliter diversa **27.**
supra jam indigitata est atque his continetur: B. Virgo-Mater post Filium suum, Verbum divinum incarnatum, perfectissimam ex omnibus creaturis cum Deo Patre similitidinem exhibet vel absoluta quadam ratione imago ejusdem exstat: quatenus scilicet *primo* quidem Filium, quem Deus Pater ab aeterno generat secundum naturam divinam, ipsa sola secundum naturam humanam genuit in tempore; quatenus *secundo,* sicut Deus Pater Filium suum generat solus sine matre, ita ipsa sola sine Patre eundem genuit; et quatenus *tertio* sicut Deus Pater generat sine ulla vel umbra mutationis, ita ipsa in conceptione et generatione virginitatem suam prorsus illibatam servavit. Quod igitur lumen de lumine ab aeterno profunditur intra divinitatem, hoc ipsum B. Virgo „virginitatis gloria permanente lumen aeternum mundo effudit Iesum Christum Dominum nostrum“. (Praefatio in missis B. V.) Iamvero propter hanc insignem Dei Patris imitationem vel repraesentationem B. Virgo speciali modo et eminenti ratione

tamquam Filia Patris consideratur et exhibetur. Etenim filiae ut filii generatim est procedere a Patre tamquam personalis imago et similitudo ejusdem, quae cum ipso ita intime connexa ad familiam ejusdem pertinet. Cum igitur B. Virgo a Deo processerit, etsi non generata, sed creata in eum finem, ut tamquam mater Filii Dei quam perfectissimam Dei Patris imaginem exhiberet et familiae divinae aggregaretur, omnino merito analoga quidem, sed specialiori et eminentiori ratione Filia Dei Patris vocatur, quam filia adoptiva sui patris quaecumque.

28. *Tertia ratio* B. Virgini-Matri communis quidem est cum aliis personis humanis necnon eandem ad tres personas divinas refert, sed iterum ipsi modo longe eminentiori convenit. Videlicet haec ratio in gratia sanctificante invenitur, utpote quae subjectum quodvis, cui inhaeret, naturae divinae particeps reddit atque eidem excepta sola humanitate Christi, filiationem adoptivam confert. Quo igitur persona aliqua perfectius et abundantius gratia sanctificante exornatur, eo perfectius etiam filiationem hanc divinam participat. Quare B. Virgo, cum gratia neque in primo instante caruerit ejusque perfectione et plenitudine, omnes creaturas excepta iterum sola humanitate Christi immensa quadam ratione excedat, etiam sub hoc respectu Filia Dei est ratione prorsus singulari et incomparabiliter fere eminentiore ceteris personis creatis omnibus.

29. *Verum ad rectam hujus rei intelligentiam considerandum est,* eandem filiationem adoptivam in B. Virgine-Matre non adeo formaliter, quam potius eminenter inveniri. Videlicet jam per solam maternitatis gratiam B. Virgo-Mater intime cum divinitate copulata et vera quadam ratione familiae divinae aggregata est atque jus ad bona divina habet, ut superius explicatum est, necnon, ut ex rationibus duabus praecedentibus patet, eminenti ratione Filia Dei est; ergo non demum per gratiam sanctificantem adoptatur vel familiae divinae aggregatur vel jus ad bona divina accipit; sed gratia sanctificans, similiter ac in Christo ad gratiam unionis consequitur et humanitatem ejusque operationes deificat, ita

in B. Virgine-Matre gratiam maternitatis consequitur atque naturam ejusdem B. Virginis ejusque operationes deificat necnon eandem filiam Dei adoptivam constitueret, si nondum esset.

Ex omnibus jam patet etiam, *quam merito B. Virgo-* **30.**
Mater dicatur Filia Dei unica vel unigenita necnon primogenita. Scilicet unica vel unigenita est, quia sub duabus primis rationibus explicatis ipsa sola filia Dei est et praeter ipsam nulla alia. Quod autem tertiam rationem filiationis i. e. gratiam sanctificantem attinet, eam non tantum habet in plenitudine incomparabiliter fere majori, sed speciali etiam titulo, ita ut si alii homines ad participationem naturae divinae et filiationem adoptivam non destinarentur, B. Virgo-Mater tamen propter suam maternitatem hanc elevationem supernaturalem sibi sola postularet et acciperet. — Deinde primogenita est, quia primo in ratione filiationis prae omnibus aliis eminet; secundo quia tamquam adjutrix Filii sui in opere redemptionis pro aliis principium filiationis est; tertio denique primogenita totius creationis dicitur, quia etiam, ut infra magis explicatur, in praedestinatione divina intime connexa est cum Filio suo Verbo incarnato, qui primogenitus totius creationis dici solet.

3. p.: B. Virgo-Mater etiam cum Spiritu Sancto arctissimis relationibus colligatur. **31.**

In hac tertia parte explicandae sunt jam habitudines B. Virginis Matris cum Spiritu Sancto, quae pariter tum ex maternitate divina progerminant tum sublimem ejusdem dignitatem egregie manifestant. Ad tria autem capita habitudines istae commode revocantur:

1. B. Virgo mater Spiratoris est. — Nimirum cum ex sua parte Filius Dei simul cum Deo Patre et virtute ab eo per generationem communicata Spiritum Sanctum spiret vel unus cum Patre sit Spirator Spiritus Sancti; et cum ex altera parte B. Virgo vero et proprio sensu mater sit Filii Dei, sequitur manifesto: B. Virgo Mater est Spiratoris. Quare secundum rei veritatem Spiritum Sanctum ita alloqui potest: „Spirator tuus filius meus est“; eadem

scilicet ratione qua ad Patrem dicere potest: Eundem illum Filium, quem tu ab aeterno generas, ego in tempore vere genui et ad Filium: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quam arctissima autem hinc resultet affinitas B. Virginis-Matris etiam cum Spiritu Sancto, et quam sublimis B. Virginis-Matris dignitas, in aperto positum est.

Verum cavendum sane est, ne haec Virginis-Matris ad Spiritum Sanctum habitudo perverse concipiatur. Nimirum cum Filius Dei non secundum naturam humanam a B. Virgine acceptam sed secundum naturam divinam a Patre communicatam spiret Spiritum Sanctum, B. Virgo sicut in generatione aeterna ipsius Filii ita etiam in aeterna Spiritus Sancti spiratione nullam habet partem neque vel minimum etiam indirectum influxum exercet, atque oppositum sentire inane atque haereticum figmentum foret.

32. ***2. B. Virgo etiam sponsa Spiritus Sancti dicitur.*** — Plura circa hunc B. Virginis titulum notanda sunt, ut cujus valoris sit, rite intelligatur: *Itaque primo idem titulus in eo fundatur*, quod opus incarnationis Filii Dei ex B. Virgine speciali modo Spiritui Sancto adscribitur secundum verba Angeli annuntiantis: *Spiritus Sanctus superveniet in te* necnon professionem symboli: „Qui conceptus est de Spiritu Sancto natus ex Maria Virgine.“ In his enim Spiritus Sanctus quoad conceptionem Christi tamquam principium activum apparet, a quo B. Virgo tamquam principium passivum foecundetur; qua ratione Spiritus Sanctus et B. Virgo tamquam sponsus et sponsa ad invicem referuntur. *Verum considerandum est*, supernaturalem illam in B. Virgine operationem, sicuti omnia Dei ad extra opera, communem esse tribus SS. Trinitatis personis ideoque Spiritui Sancto tantum appropriari ex eadem ratione, qua etiam alia inprimis caritatis et sanctificationis opera Spiritui Sancto appropriantur. Quare etiam sub hoc respectu Spiritus Sanctus sanctus sponsus B. Virginis, et haec illius sponsa nequit dici nisi sensu appropriato.

33. *Secundo notandum est, eundem titulum in antiquitate christiana B. Virgini vix tributum esse,* cum primo secun-

dum rem saltem vel aequivalentibus verbis occurrere videatur in sermone aliquo S. Petro Damiano tributo, in quo scilicet B. Virgo dicitur: „Virgo Dei Filio specialiter consecrata, specialiter Sancto conjugata Spiritui.“ (Serm. 40. in Assumpt. inter opera S. Petri Dam.). Saepissime autem, ut supra dictum est, ab antiquis Patribus et Doctoribus B. Virgo praedicatur sponsa Verbi, sponsa Christi, sponsa Dei (ubi Deus intelligitur Filius), a Doctoribus et theologis medii aevi nonnunquam etiam sponsa Patris necnon aliquando quamvis rarissime sponsa Sanctissimae Trinitatis. Ab aliquibus saeculis autem magis magisque invaluit titulus „sponsa Spiritus Sancti“ et recentiore tempore prae aliis illis modo relatis omnino praevalet atque frequentissimus est. Sic vel ipse S. P. Leo XIII. B. Virginem appellat „Sponsam immaculatam Spiritus Sancti“ in encyclica *Divinum illud*, d. 9. Maji 1897.

Tertio: Si quaeratur ratio, ob quam veteres Patres et 34.
Doctores abstinuerint ab hoc B. Virginis titulo, duplex ea, que non spernenda assignari posse videtur. *Prima est*, cum B. Virgo jam ex aptis prorsus et solidis rationibus appellaretur sponsa Verbi, sponsa Christi tamquam proprio quasi nomine, vitandae videri poterant consimiles appellationes, quibus alterius personae, ut Patris ita et Spiritus Sancti vel etiam totius Trinitatis sponsa designaretur, ne scilicet tituli variatione confusio idearum oriretur. *Altera est*, quod, si B. Virgo propter conceptionem supernaturalem Spiritui Sancto appropriatam ejusdem sponsa dicatur, haec eadem persona consequenter nomine correlato dicenda esse videretur pater Christi; haec autem appellatio Spiritus Sancti in ecclesia semper studiose vitata, imo a magisterio authentico, ut v. g. in synodo Toletena 11. expressis verbis prohibita est (cf. Christol. th. 7. n. 19.). Quae duae rationes pondus non leve habent et considerationem merentur.

Quarto tamen etiam usus recentior, praeterquam quod 35.
fundamento supra assignato innititur, ex aliis quibusdam rationibus commendari posse videtur, dummodo a falsa conceptione vel imaginatione immunis servetur. Nimirum *primo*

appellatione illa *sponsa Spiritus Sancti* unio B. Virginis cum divinitate ejusque conceptio expressiore et instantiore modo ut supernaturalis et sancta prorsus exhibetur, a qua omnis terrena cogitatio longe absit oportet. *Secundo* eadem appellatione excluditur falsa conceptio, qua persona creata B. Virginis ut sponsa Verbi quodammodo inter personas divinas interponi atque Spiritui Sancto praeponi conciperetur. *Tertio* eodem titulo Spiritus Sanctus, qui intra divinitatem infecundus vel principium alterius personae non est, ad extra fecundus apparet, quatenus tamquam principium generationis Filii Dei temporalis et externae exhibetur, quae quodammodo extensio quaedam generationis aeternae est. *Quarto* denique eodem titulo inculcatur, ab intima unione, qua divinitas ex stupenda misericordia et gratia sibi B. Virginem copulaverit, non abesse tertiam personam; imo vero congrue ad characterem suum personalem tamquam principium illius unionis exhibetur; quod ad honorem simul tum Spiritus Sancti tum B. Virginis spectat.

36. ***3. B. Virgo-Mater frequenter praedicatur templum, sanctuarium habitaculum Spiritus Sancti vel aequivalentibus nominibus decoratur.*** — Duo ad explicandam hanc assertionem spectant: primo aliqua hujus usus exempla adducenda sunt; secundo ratio ejusdem reddenda est.

1. *Hujus usus exempla aliqua.* — Iam *S. Ambrosius* B. V. dicit „templum Spiritus Sancti“ (In Luc. l. 2.) et *S. Hieronymus* eandem praedicat „sanctuarium Spiritus Sancti“ (In libro adv. Helvidium). *Georgius Nicomed.* de praesentatione B. Virginis in templo agens sic loquitur: „Hodie animatum templum in templo offertur, templum inquam excelsius coelis, toto creatorum ambitu latius atque capacius. . . . Hodie spirituale tabernaculum fausta nuntia gratiae legali ordini perfert, jubetque litterae ut locum cedat spiritui. Hodie vasculum Spiritus in templo depositum suscipiendo Dei Verbo aptatur.“ (Orat. in Deipar. praesentationem). . . Ab *antiquis Coptis* B. Virgo ita salutabatur: „Salve templum Spiritus Sancti“ (Theotoch. tetrast. 2. ap. Passaglia, n. 471.) —

Huc spectare videtur etiam haec *Methodii* salutatio: „Salve dilectionis thesaure: salve fons benevolentiae Filii in hominum genus; salve Spiritus Sancti mons inumbrate.“ (De Simeone et Anna.) — *Andreas Cretensis* exclamat: „Ave sis nova arca gloriae, in qua Dei Spiritus descendens requievit“ (orat. in Deiparae Annuntiat.). — A *S. Joanne Damasceno* „thalamus Spiritus“ vocatur (orat. 1. in Nativit. B. V.) necnon „templum mysticum divini Spiritus.“ (In Paracletica B. V.) Denique a *Joanne Geomet.* „habitaculum Spiritus Sancti“ praedicatur (orat. 2. in dormit. B. V.). — Ex quibus satis patet, jam a SS. Patribus vel in antiquitate christiana B. Virginem nomine „templi Spiritus Sancti“ et aliis similibus vel aequivalentibus decoratam esse.

Verum inde a medio aevo usus horum nominum magis 37.
magisque invaluit et multo frequentior evasit; quod multis testimoniis probari potest; ex quibus tamen pauca breviter adnotare sufficit. Sic vocatur „*sanctuarium Spiritus Sancti*“ a *Joanne Pico* (in cantic. l. 3. c. 14), et „tabernaculum Spiritus Sancti omni sanctitate repletum“ *a Bernardino de Bust.* (serm. 5 de nominat. Mar.). Item appellatur „templum Spiritus Sancti“ ab *Hugone de S. Victore* (serm. de Assumpt. B. M. V.), a *Petro Diacono* (in Assumpt. B. M. V.), a *Ruperto abbate* (De operibus Spiritus Sancti l. 1. c. 7.), a Petro Blessensi (serm. 12.), ab *Arnoldo Carnot.* (in verba: *Mulier ecce filius tuus*), a *S. Bonaventura* (In cantic. psalterii B. M. V.), a *Bernardino de Bust.* (in suo Mariali, serm. 2. de Coronat. S. M.). Deinde praedicatur „templum proprium caritatis, id est Spiritus Sancti“ a *Ruperto abbate* (De glorificatione Trinitatis l. 7. c. 13.), „templum Spiritus Sancti ex Dei gratia“ a B. *Aelredo abbate* (Serm. 1. in Assumpt. B. M. V.), „templum honorabile Spiritus Sancti“ a *Petro Cell.* (Serm. 5. de Assumpt. B. M. V.), „templum gloriae, quod Spiritus Sanctus possedit dignanter inhabitando, et in omni gratia totaliter implendo“ ab *Alberto M.* (In Bibl. Mariae super lib. Proverb.), „templum Spiritus Sancti ab initio sui esse, quem semper in seipsa latentem habuit et inoffensum custodivit, nec ab ejus magisterio vel ad momen-

tum recessit" a *Claudio Rap. Coelest.* (Serm. 2. de Concept. B. V.). Denique *Dionysius Carth.* eam laudat: „templum electissimum adorandi Paracleti Spiritus" (De laudibus SS. V. l. 3. initio), „templum formosissimum ac toto orbe famosissimum Spiritus Sancti" (Ibid. l. 3. art. 22), templum mundissimum adorandi Paracleti Spiritus Sancti" (Ibid. l. 3. initio), „templum splendidissimum adorandi Paracleti Spiritus Sancti" (Ibid.), „templum summum ac unicum Spiritus Sancti" (Ibid. l. 4. art. 10.), templum venerandissimum, quod Spiritus Sanctus indesinenter inhabitavit atque possedit, irradiavit atque implevit." (De praes. Mariae, l. 2. art. 28.)

38. 2. *Rationes ejusdem tituli breviter exhibentur.* — Nimirum non ex una tantum, sed ex pluribus rationibus B. Virginem-Matrem eodem titulo merito decorari, re accuratius inspecta facile patet:

Prima ratio quidem B. Virgini iterum communis est cum aliis personis sanctis vel gratia sanctificante ornatis, sed B. Virgini eminentiori modo convenit. Scilicet secundum verba Apostoli: *An nescitis, quoniam membra vestra sunt templum Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo et non estis vestri* (1. Cor. 6, 19) in quovis homine justo Spiritus Sanctus tamquam in templo vel sanctuario vel tabernaculo inhabitat non tantum secundum gratiam, sed secundum ipsam suam substantiam; gratia enim hanc inhabitationem non constituit vel non absolvit, sed ejusdem fundamentum est: ergo etiam ejusdem mensura est; vel quo gratia est major vel magis intensa, eo perfectior erit etiam Spiritus Sancti inhabitatio. Quare B. Virgo cum gratiae intensitate et amplitudine prae omnibus personis creatis longe antecellat, Spiritus Sanctus modo eminentissimo et intima cum unione in ipsa inhabitat ita, ut sit sanctuarium ejusdem vel templum vel tabernaculum excellentissimum et prorsus singulare.

39. *Altera ratio ejusdem tituli* B. Virgini-Matri omnino singularis et propria est, utpote quae verbis Angeli mysterium Incarnationis annuntiantis significatur atque in eo continetur, quod Spiritus Sanctus in eam descendit, atque corpus etiam

ejus possedit, ut ex ejus carne et sanguine ss. corpus Filii Dei efformaret. Etsi enim Spiritus Sanctus vi immensitatis sit ubique, nova tamen et peculiari ratione ibi est, ubi praesertim supernaturaliter operatur. Haec autem singularis praesentia etiam specialem rationem praebet, propter quam B. Virgo singulari modo templum Spiritus Sancti vocetur. Si enim, ut supra dictum est, jam omnes homines sunt templum Spiritus Sancti, quia ipsos per gratiam sanctificantem filios Dei adoptivos efformat, multo magis B. Virgo praedicanda est templum Spiritus Sancti, quia idem Spiritus Sanctus in ipsa Filium Dei naturalem efformavit hominem vel ei existentiam et vitam humanam dedit. — Et *confirmatur primo* consideratione aliqua addita: Nimirum eo magis propter illam rationem B. Virgo-Mater dicenda est templum Spiritus Sancti, quia hic non habitaret in aliis justis, nisi prius in B. Virgine eo modo habitasset, cum regeneratio hominum supernaturalis per gratiam sanctificantem ad generationem Filii Dei auctoris omnis gratiae ex B. Virgine tamquam effectus ad causam exemplarem et rationem suam reducitur, vel illa hujus continuatio sive prolongatio merito dicitur. — *Confirmatur secundo* alia adhuc consideratione addita: Videlicet B. Virgo, quia Spiritu Sancto superveniente Iesum Filium Dei generavit, ideo cum Iesu tamquam patre ipsa tamquam mater homines regenerare vel filios Dei adoptivos generare debet; cum autem hujus regenerationis principium praedicetur Spiritus Sanctus secundum verba: „*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*", necesse fuit, ut Spiritus Sanctus B. Virginem sua inhabitatione redderet fecundam ad illam regenerationem spiritualem, prout scilicet etiam a Spiritu Sancto fecundata est ad generandum ipsum Salvatorem.

Denique accedit adhuc tertia ratio item prorsus singu- **40.**
laris et B. Virgini-Matri propria. Atque haec ratio in circumincessione divinarum personarum vel in immanentia Spiritus Sancti in Deo Filio fundatur. Etenim, ut in tractatu de SS. Trinitate explicatum est (Thes. 18), divinae personae invicem in se existunt vel sibi immanent inseparabiliter, quare

Filius Dei non potuit in utero B. Virginis carnem assumere ibique habitare, quin simul Spiritus Sanctus in eadem tabernaculum sibi faceret, in quo speciali modo habitaret. Scilicet quemadmodum, ut supra dictum est, Filius a Deo Patre etiam in utero B. V. continuo generabatur, ita etiam Spiritus Sanctus a Patre et Filio in eodem utero B. Virginis continuo spirabatur; quod fieri sane non potuit, quin B. Virgo etiam singulari modo templum Spiritus Sancti evaderet.

41. *Notandam vero hoc loco est,* non solum relate ad personam Spiritus Sancti B. Virginem rationem templi vel sanctuarii habere; sed saepissime etiam Filii, et aliquando etiam Patris et frequenter totius Trinitatis templum praedicatur; quod vel ex iisdem fit vel aliis rationibus, quae ex declarationibus hucusque propositis facile intelliguntur. Quare etiam hoc nomen B. Virginis, ut exprimit habitudines non proprias Spiritus Sancti ad eandem, rationem non proprii, sed potius appropriationis habet; ut supra dictum est de altero titulo, scil. sponsae Spiritus Sancti.

42. *Verumtamen immerito assereretur, nullas proprias et personales habitudines B. Virginem-Matrem cum Spiritu Sancto connectere;* quod item ex dictis praesertim in prima assertione n. 29 ss. jam facile intelligitur. Insuper vero aliud momentum spectandum est: B. Virgo Spiritui Sancto speciali modo assimilatur vel imago ejusdem est. Etenim unio sponsalis materna inter Verbum divinum atque B. Virginem, de qua supra dictum est, speciali modo similis est unioni Spiritus Sancti cum eodem Verbo divino ideoque tamquam imago ejusdem apparet. Sicut enim Spiritus Sanctus a Verbo divino per amorem spiratur et ea ratione unitate essentiali cum eodem unitur: ita etiam B. Virgo ex amore divino electa et creata et a Verbo divino, quod seipsum eidem Filium donavit, sibi intime copulata est unione, qua arctior inter diversas personas esse non potest. Haec autem assimilatio spectata ex parte Spiritus Sancti etiam propria non appropriata est.

43. ***Supplementa quaedam.*** — Ad complendam hanc de B. Virginis ad Spiritum Sanctum et generatim ad SS. Trinitatem habitudine tractationem quaedam addere juvat:

1) *De explicatione a Scheeben proposita.* — Aliam adhuc considerationem vel habitudinis inter Spiritum Sanctum et B. Virginem explicationem exhibet Scheeben, quae his comprehenditur:

Intima unio B. Virginis cum Spiritu Sancto intercedit ita, ut Spiritus Sanctus quadam ratione tamquam forma vel anima B. Virginem informet vel animet. Etenim Filius Dei non potuit semetipsum dare B. Virgini filium, quin simul Spiritum a se spiratum, Spiritum suum, quem omnibus justis donat, eidem speciali modo daret, quo Spiritu illa ratione quadam non quidem substantiali sed accidentali eaque perfectissima informaretur et animaretur adeoque vitae divinae, quam perfectissime potest persona creata, particeps redderetur. Qua ratione B. Virgo etiam cum Spiritu Sancto intime conjuncta eique speciali ratione appropriata esse credenda est. Atque haec B. Virginis ad Spiritum Sanctum habitudo ex duobus momentis vel ex duabus aliis B. Virginis habitudinibus egregie confirmari videtur: Nimirum *primo* ex SS. Patrum et Doctorum doctrina B. Virgo consideranda est post Christum tamquam typus vel exemplar necnon primum membrum ecclesiae, quae est corpus Christi et sponsa ejusdem. Iamvero ex doctrina inter catholicos communi ecclesia, quatenus tamquam sponsa Christi atque corpus ejusdem unus organismus supernaturalis est, merito per Spiritum Sanctum tamquam per formam vel animam vera quadam ratione informari et animari concipitur; quare vel in singulis membris ecclesiae ex ipsa scriptura *Spiritus postulat gemitibus inenarrabilibus* (Rom. 8, 26.). Ergo B. Virgo, cum sit typus vel exemplar necnon praecipuum membrum ecclesiae a fortiori et eminentiore ratione vero quodam sensu per Spiritum Sanctum informari et animari merito consideratur. *Secundo* ex altera parte B. Virgo communiter consideratur tamquam altera Eva sicut Christus est alter Adam. Quare sicut in ordine naturae et lapsus Eva Adae fuit, ita in ordine supernaturalis restaurationis B. Virgo Christo adjutorium simile esse communiter exhibetur. Eva autem Adae, ad imaginem et similitudinem Dei creato, eatenus adjutorium simile fuit vel similitudinem ejus

exhibuit in ordine naturali, quatenus et ipsa sicut ille anima spirituali informata et constituta erat et quidem anima ab anima Adae distincta. Ergo etiam B. Virgo tamquam altera et coelestis Eva necnon adjutorium simile Christi secundi Adae coelesti vel divino Spiritu animari credenda est, et quidem spiritu a Verbo divino, quo constituitur Christus, distincto atque ideo Spiritu Sancto. Qua ratione demum B. Virgo plene tamquam adjutorium simile Christi necnon ut persona proprii quodammodo juris vel autonoma tamquam sponsa condigna apparet. Nihilominus Christo subordinata manet, quia dum Christus ipso Verbo divino constitutus est atque Spiritum Sanctum possidet tamquam principium eundem spirans, e contra B. Virgo Spiritum Sanctum a Verbo procedentem tantum eatenus habet, quatenus idem ex gratia inhabitans ipsam quidem non essentialiter constituat, sed supernaturaliter animet atque sanctificet. *Insuper tria ex his consequuntur vel intelliguntur.* Et *primum* quidem est, quod B. Virgo ea ratione cum Christo Filio suo unita apparet non solum neque primo corporali connexione, sed vinculo spirituali i. e. ipso Spiritu Filii unita est, atque etiam corpus mediante anima, Spiritus Sancti templo, cum Christo copulatum apparet. *Alterum* est, quod hoc modo B. Virgo cum Christo Filio non tantum per generationem ejusdem transeunter, sed inde ab initio existentiae ac deinceps perpetuo conjuncta apparet. *Tertium* denique est, quod ita analogia inter Evam et Mariam perficitur, quatenus ex novo iterum respectu haec ad Christum sicuti illa ad Adam referri intelligitur; etenim sicuti Eva ex costa Adae formata est, ita B. Virgo Spiritu Sancto, qui quodammodo costa Verbi est atque ita a Methodio v. g. appellatur, ratione quadam formatur et constituitur. Qua ratione demum perfecta harmonia in ordine supernaturalis restaurationis resplendet: Habitudo enim inter Adam et Evam typus quidam imperfectus est habitudinis multo perfectioris et altioris inter Christum et B. Virginem: atque haec iterum imago est quam perfectissima unionis inter Filium et Spiritum Sanctum vel ejusdem ad extra consummatio simul et repraesentatio est.

Atque his expositio rei a Scheeben facta (3. Bd. § 240 b. **44.**
et § 276) aliquando satis difficilis et obscura quoad substantiam relata est. Iamvero haec declaratio sane ingeniosa apparet necnon ad illustrandam et intelligendam habitudinem inter Spiritum Sanctum et B. Virginem existentem multum juvare potest; verumtamen difficultatibus et naevis non caret: Et *primo* quidem non satis probatur, cum in analogiis quibusdam innitatur, quae nimis urgeri videntur. *Secundo* unio asserta tamquam proprium Spiritus Sancti exhibetur, hoc ipsum vero non probatur neque satis probari posse videtur ne ut probabilius quidem, cum ex communiori theologorum sententia divinis personis ad extra omnia sint communia excepta sola unione hypostatica. *Tertio* incaute et perperam termini theologici fixae et determinatae prorsus significationis ad aliud quamvis cognatum vel analogum significandum transferuntur, ut v. g., quando unio inter Spiritum Sanctum et B. Virginem vocatur simpliciter personalis vel etiam incarnatio Spiritus Sancti.

2) *De ratione aliqua loquendi nonnullorum theologorum.* **45.**
— Theologi nonnulli, ut Lepicier (De Beatissima Virgine p. 1. c. 3. a. 3.) et Stamm (Mariologia, p. 2. s. 2. c. 2. § 1.) aliique in sententia aliqua *Hesychii Hierosolym.* innisi „complementum totius Trinitatis non quidem essentiale et intrinsecum, sed accidentale et ad extra“ (Lépicier l. c.) B. Virginem appellarunt. Et rationem hujus praedicati assignant, quod „per divinam maternitatem contulit Patri auctoritatem in Filium . . .. Filio generationem temporalem . . ., Spiritui Sancto, ut foecundus fieret generatione temporali“. (Idem ibid.) — Verum *primo* immerito ad Hesychium provocant, quippe cujus verba illum sensum non fundant; etenim dicit B. Virginem in se habuisse „universum Trinitatis complementum (πλήρωμα); quandoquidem et Spiritus Sanctus adveniebat atque hospitabatur, et Pater obumbrabat, et Filius utero gestatus inhabitabat“ (Serm. 5.). Quibus verbis nihil aliud asseritur, nisi totam Trinitatem in B. Virgine inhabitasse; nequaquam autem ipsa „Complementum Trinitatis“ vocatur. — *Secundo* per incarnationem Verbi ex B. Virgine novae quidem relationes quae-

dam divinae ad extra oriuntur, quibus relationes divinae internae quodammodo complentur, quales relationes sunt illae a Lepicier indicatae: verum B. Virgo harum relationum novarum causa est tantum instrumentalis, cum ipse Deus causa principalis sit; neque idem est novas illas relationes accedere ex una parte atque ex altera parte B. Virginem ipsam esse complementum Trinitatis. — *Denique tertio* tria illa, quae ut fundamentum illius nominis assignantur, non ejusdem generis, sed partim propria partim appropriata sunt. Iamvero comprehensio eorum diversorum sub uno nomine claritati non servit sed potius confusionem parit. Ergo potius abstinendum esse videtur ab ejusmodi nomine; quod eo magis dicendum est, quia alia nomina aptissima exstant ad eandem rem significandam, ut v. g. nomina supra exhibita: Filia, templum, sacrarium SS. Trinitatis.

46. Atque haec de habitudine et unione B. Virginis cum singulis personis SS. Trinitatis dicta sufficiunt. Ex omnibus manifestum est, quam intima et arctissima sit ea habitudo vel unio et quanta inde in B. Virginem derivetur dignitas et celsitudo. Quare unio eadem maxime a Patribus et Doctoribus praedicatur et urgetur. Ita B. Virgo a *Ioanne Damasc.* vocatur „proxima Deo" (Homil. 1. in Nativit., n. 9.); a *S. Ioanne Geometra* „altera a SS. Trinitate", et „altera post regiam augustamque Trinitatem"; a *S. Ephraem:* „Plenitudo gratiarum augustae Trinitatis, utpote quae secundas post Trinitatem partes teneat"; a *Petro Cellensi* „una et prima post Trinitatem". Denique in *antiquo hymno latino* canitur: „Gaude Virgo, Mater Christi — Quia sola meruisti — O virgo piissima — Esse tantae dignitatis -- Quod sis sanctae Trinitatis sessione proxima." (Passaglia, t. 1. n. 54.)

Corollaria quaedam.

47. Cum tractatione hucusque instituta quaedam doctrinae capita connectuntur quae incidenter quidem jam indigitata vel commemorata sunt, sed accuratiorem explicationem merentur, quae hoc loco jam apte et commode dari potest. Itaque:

1. B. Virgo-Mater speciali modo a Deo praedestinata est. — B. Virginem-Matrem *simpliciter praedestinatam esse,* ex ipsa ratione praedestinationis manifestum est. Etenim praedestinatio intelligitur „divina praeordinatio ab aeterno de his, quae per gratiam Dei sunt fienda in tempore" (S. th. 3. p. q. 24. a. 1.). Tripliciter autem praedestinatio dicitur: scilicet vel *primo* praedestinatum dicitur opus supernaturale in complexu cum subjecto, in quo fit, ut apostolatus Pauli sive Paulus apostolus; vel *secundo* praedestinatum dicitur aliquod donum alicui, ut apostolatus Paulo; vel *tertio* denique dicitur praedestinata aliqua persona ad aliquid donum sive munus, ut Paulus ad apostolatum. Secundum hanc igitur praedestinationis notionem, quidquid in ordine supernaturali fit in tempore, a Deo esse praedestinatum ab aeterno intelligitur et quidem praedestinatum esse eo modo fieri, quo revera fit. Quae cum ita sint, manifestum est, B. Virgini-Matri praedestinationem simpliciter convenire; et quidem dici potest, tum ipsam Virginem-Matrem esse praedestinatam, tum maternitatem cum aliis donis supernaturalibus ipsi praedestinatam esse, tum ipsam esse praedestinatam ad maternitatem divinam aliasque gratias; aptius autem et verius dicitur, ipsam Virginem-Matrem praedestinatam esse, ut inferius patebit. Merito igitur de B. Virgine ab Angelo salutata *S. Bernardus:* „Missus est angelus ad Virginem mente, virginem professione; virginem denique qualem describit Apostolus mente et corpore sanctam. Nec noviter ac fortuito inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam et sibi praeparatam, ab angelis servatam, a patribus praesignatam, a prophetis promissam." (Hom. 2. Super *missus.*) Et quidem *speciali prorsus modo B. Virgo-Mater praedestinata est* non eadem quidem, sed analoga ratione ac ipsa Christi humanitas ita, ut ejus praedestinatio non uno capite multum praecellat prae Sanctorum aliorum omnium praedestinatione; quod jam demonstrandum atque explicandum est.

1) Probatur ex SS. Patrum doctrina. — Multis celebrant atque insignem declarant B. Matris praedestinationem 48.

SS. Patres. Nimirum B. Virginem-Matrem praedicant „electam, praeelectam, eximie electam, prae omnibus electam, electam uti solem, praeparatam et custoditam atque ex sua electione gratia plenam et omnino dignam, quae Deo placeret, a creatione mundi praedestinatam et ex omnibus generationibus praeelectam in impollutum domicilium, electam ex millibus feminarum, hospitium mundissimum Deo praeparatum.“ Item declarant „eam praefinitam esse humani generis reparationem et ad salutarem mundi restitutionem coelitus destinatam, electum totius mundi vas, a creatore electam ad generis restaurationem“. Denique celebrant eam tamquam „prae coelestibus ac terrestribus ipsisque Cherubim electam, praedestinatione unice Deo consecratam, praedestinatam a saeculis et generationibus, a Patre et Filio electam et praeelectam ante mundi constitutionem, ut mater Dei aeterni plena omni gratia et veritate esset.“ Quae quidem omnia pluribus SS. Patrum testimoniis allatis probantur a Passaglia, op. cit. s. 6. c. 1. a. 3. Pauca tantum hoc loco afferre sufficit. Itaque *J. Damascenus* ita B. Virginem-Matrem compellat: „Ave gratia plena, quae ex omnibus generationibus, tribubus, populis, gentibus et linguis electa es. Ave plena gratia, quae ante saecula creatori ac regi saeculorum fuisti destinata“ (Hom. in annunciat. B. V.). Et iterum: „Dignitatem tuam praecognoscens universorum Deus te proinde dilexit dilectamque praedestinavit, atque extremis temporibus produxit ac Deiparam matrem suique Filii ac Verbi nutritiam fecit“ (Hom. 1. in Nativit. n. 7.). Et *Sophronius* declarat: „Genitrix electa et praeelecta jure ab angelo salutatur et praedicatur gratia plena. Vere plena, per quam largo S. Spiritus imbre superfusa est omnis creatura“ (De Virg. assumpt. c. 5). Item ex mente *S. Gregorii M.* B. Virgo-Mater „omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit“ (Expos. in 1. Reg. c. 1. n. 5.). Et *Eleutherius Tornacensis* ad Virginem exclamat: „O Virgo benedicta, o Virgo a Conditore mundi perelecta“ (Serm. in annuntiat.). Denique *Petrus Damianus* eandem praedicat „ante constitutionem mundi in consilio aeternae sapientiae electam et praeelectam“ (Serm. 45. in Deip. nativit.).

2) *Ex s. liturgia.* — Nimirum hanc sublimem praede- **49.**
stinationis B. Virginis conceptionem a Patribus exhibitam agnovit et suam fecit ipsa ecclesia, utpote quae in divina liturgia Deiparae illa scripturae verba applicat, quibus aeterna Verbi generatio celebratur, atque illam nobis repraesentat veluti ab aeterno genitam ante omnem creaturam eaque ratione maxime extollit et graphice exhibet ejusdem praedestinationem: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi et ego jam concepta eram; necdum fontes aquarum eruperant; necdum montes gravi mole constiterant; ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat et flumina et cardines orbis terrae. Quando praeparabat coelos aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum; quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens. Et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciae meae esse cum filiis hominum. (Prov. 8, 22—32; cf. Eccli. 24. 5. 6. 12. 14. 15. 24. 25.)*

3) *Ex Bulla ‚Ineffabilis'.* — Etiam *Pius IX.* definiens **50.**
immaculatam B. Virginis conceptionem simul specialem prorsus praedicat ejus praedestinationem: „Ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo (Deus) Matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret ... tam venerabilis Mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligit, ita dare disponit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit."

51. *4) Ex ratione theologica confirmatur vel explicatur.* — Argumentis jam propositis certum est, B. Virgini-Matri specialem prorsus et excellentem praedestinationem convenire. Restat autem ut ejusdem specialis et excellens dignitas ex interna ratione confirmetur et explicetur; itaque:

a) Praedestinatio B. Virginis-Matris *immense eminet spectato termino, ad quem eandem praeordinat.* Etenim praedestinatio, cum ex propria sua ratione tendat ad unionem creaturae cum Deo supernaturalem, eo sane praestantior invenitur, quo excellentior unio est, ad quam praeordinat. Quare praedestinatio Christi sub hoc respectu imprimis omnium longe praestantissima est; utpote qua humanitas Christi praeordinata est ad unionem cum Deo supernaturalem excellentissimam et intimam, quae fieri potest, scilicet ad unionem hypostaticam cum Verbo divino, qua cum eodem in unitate personae subsistit ejusque Filiationem naturalem participat. Cum autem unio hypostatica cetera dona supernaturalia, ut gratiam sanctificantem et visionem beatificam, tamquam radix eorundem, secum ferat in summa perfectione, etiam sub hoc respectu praedestinatio Christi prae omnibus aliis principatum tenet. Jamvero post Christi humanitatem B. Virgo-Mater prae omnibus aliis creaturis cum divinitate intime conjuncta est divina sua maternitate necnon consequenter aliis donis supernaturalibus, quae ex illa tamquam radice progerminant. Ergo praedestinatio B. Virginis-Matris spectato termino prae praedestinatione omnium aliorum electorum incomparabiliter excellit.

52. Cum his autem connectitur *alia proprietas praedestinationis B. Virginis-Matris,* quae notanda est. Sicut scilicet humanitas Christi ratione prius praedestinata est ad unionem hypostaticam et posterius ad ceteras gratias et dona supernaturalia inclusa ipsa visione beatifica, quae in illa fundantur; ita etiam *B. Virgo-Mater ratione prius ad dignitatem maternitatis divinae et posterius ad alias gratias et praerogativas inclusa pariter gloria coelesti praedestinata esse merito dicitur.* Apposite *Suarez:* „Dicitur B. Virginem, nostro modo intelligendi, prius secundum rationem praedestinatam esse et electam, ut esset mater Dei, quam ad tantam

gratiam et gloriam. . . . Ideo enim B. V. praedestinata est ad tantam gratiam et gloriam, quia electa est in Matrem Dei. Ordo enim executionis manifestat ordinem intentionis. Sed in reipsa tanta gratia et gloria data est B. Virgini, ut esset ita disposita, sicut matrem Dei decebat. Ergo ita fuit electa ad tantam gratiam et gloriam, quia in Dei matrem erat praeelecta." (D. 1. s. 3.)

b) Praeterea praedestinatio B. Virginis-Matris eo maxime **53.**
excellit, quod *intime conjuncta est et connexa cum praedestinatione Filii sui Dei-hominis Redemptoris* Nimirum Deus ab omni aeternitate praevidens lapsum generis humani simul decrevit idem restituere eo, quod ipse Filius Dei in tempore incarnaretur atque in humana natura assumpta condignam satisfactionem exhibendo illud redimeret. Neque autem ex eodem decreto alio modo Filius Dei homo fieri debuit, quam humanam carnem assumendo et nascendo ex B. Virgine, quae etiam in ipso redemptionis opere se Filio suo Redemptori associaret. Ergo cum praedestinatione Dei-hominis Redemptoris intime nexa vel imo in ea inclusa atque ab ea inseparabilis apparet electio B. Virginis-Matris, cum ceterorum hominum praedestinatio nequaquam spectet ad ipsum opus incarnationis et redemptionis constituendum, sed ex eo demum consequatur et contingenter cum eo connectatur.

Confirmatur haec doctrina, quia in ordine exsecutionis, **54.**
utpote qui respondet ordini intentionis eumque manifestat, B. Virgo-Mater intime atque inseparabiter conjuncta apparet cum Filio suo Redemptore. Revera etiam ante ipsam incarnationem ab initio creationis per omnes aetates Deus-homo Redemptor ejusque mater saepissime simul exhibentur tamquam spes unica atque salus generis humani futura. Quod ad oculos demonstrant vaticinia messianica V. F. tum oralia tum realia (i. e. figurae et typi) multa et insignia inde a protoevangelio vel promissione salutis futurae jam ipsis protoparentibus facta, in qua futurus redemptor tamquam semen mulieris atque cum ea diabolum debellaturus exhibetur. Similiter in aliis prophetiis et typis, de quibus inferius paucis dicendum erit.

55. *Confirmatur item* ex Bulla Ineffabilis *Pii P. IX.* ubi usum ecclesiasticum applicandi verba scripturae de aeterna sapientia dicta ad Virginem-Matrem sanciens expressis verbis declarat uno eodemque decreto cum Filii Dei incarnatione B. Matrem praedestinatam esse: „Ipsissima verba, quibus divinae scripturae de increata sapientia loquuntur ejusque aeternas origines repraesentant, (ecclesia) consuevit tum in ecclesiasticis officiis tum in sacrosancta liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum divinae sapientiae incarnatione fuerunt praestituta."

56. Cum his connectitur, quod *B. Virgo facta non esset Mater Dei, si homo non peccasset*; in hac enim hypothesi Filius Dei carnem humanam non assumpsisset neque igitur matrem humanam haberet (cf. Tractat. de Verbo Incarnato, 2. p. th. 4.). Verum hoc etiam a Doctoribus et theologis aliquando expressis verbis declaratur et inculcatur. Ita v. g. *Eadmerus* in hoc ipso magnum pro peccatoribus solatium invenit: „Si igitur ipsa propter peccatores, scilicet propter me meique similes, facta est Domini mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere me poterit desperare veniam eorum, cum tam ineffabile donum (Christus sc.) sit factum ex ea ad curationem eorum?" (De excellentia Virginis Mariae c. 1.) Similiter magister Eadmeri *S. Anselmus* (in oratione 51. ad S. V. M.) aliique. Consonat *antiquus ecclesiae hymnus:* „Nec abhorre peccatores — Sine quibus nunquam fores — Tanto digna Filio —. Si non essent redimendi —, Nulla tibi pariendi — Redemptorem ratio."

57. c) Praedestinatio B. Virginis ad maternitatem imprimis praecellit etiam modo, quatenus *absoluta est atque merita ejusdem praecedit.* Nimirum cum aliorum electorum praedestinatio ad gloriam saltem secundum probabiliorem sententiam praevisionem meritorum consequatur ideoque sub hoc respectu conditionem ex parte ipsorum hominum impletam subaudiat ideoque ratione quadam contingens sit, econtra B. Virginis praedestinatio ad maternitatem divinam et consequenter etiam ad ceteras gratias et praerogativas necnon ad

ipsam gloriam credenda est absoluta esse absque omni con- 58.
tingentia adeoque omnem meritorum praevisionem antecedere.

Quod *imprimis* ex ipsa rei natura patere videtur. Etenim reipsa merita quaevis B. Virginis-Matris in gratiis eidem collatis fundantur easque igitur supponunt et consequuntur; ex maternitate vero divina, ut patet ex thesi 2. n. 50. ss., ceterae gratiae omnes tamquam ex radice progerminant eique commensurantur; quare cum decreta divina naturae rerum conformentur, B. Virgo, ut jam supra (n. 40.) dictum est, ratione prius ad maternitatem electa est et propter maternitatem ad alias gratias et praerogativas inclusa ipsa gloria coelesti. Ergo B. Virgo ante merita praevisa atque absolute et sine ulla contingentia ad maternitatem divinam ceterasque gratias et praerogativas ex ea progerminantes a Deo electa et praedestinata est. Eam scilicet Deus in sua sapientia B. Virgini providit ab aeterno gratiarum abundantiam, quibus se quam dignissimam sua electione redderet. — *Secundo* nominatim ex gratia immaculatae conceptionis eadem fere ratione argui potest: Etenim haec insignis praerogativa, utpote quae ad primum instans vitae B. Virginis-Matris spectat, omne ejusdem meritum necessario praecedit; quare ad eandem absolute absque ulla contingente conditione a Deo praedestinata est. Atqui immaculata conceptio sicut aliae quoque B. Virginis-Matris gratiae et praerogativae ex maternitate divina progerminat, vel ideo B. V.-M. ad illam est praedestinata, quia ad hanc electa erat. Ergo imprimis ad maternitatem B. V.-M. absolute et absque ulla conditione contingenti meritorum praedestinata est. *Tertio* Deus sane opus incarnationis et redemptionis absoluta sua voluntate ita intendit, ut ab executione ejusdem omnis contingentia et incertitudo esset prorsus exclusa; quare humanitas Christi ad unionem hypostaticam ab omnibus absolute esse praedestinata creditur. Atqui B. Virgo maternitate sua divina intrinsecus essentialiter concurrit ad incarnationem necnon vera quadam ratione ad redemptionem; atque insuper ex voluntate divina Filio suo quam simillima in variis privilegiis participandis reddita est. Ergo et ipsa ad maternitatem

divinam absoluta Dei voluntate ante omnem meritorum contingentium praevisionem praedestinata est.

59. d) Denique *B. Virginis-Matris praedestinatio etiam spectata termini comprehensione excellit, quatenus ipsam ejusdem existentiam atque dotes naturales corporis et animae comprehendit:* vel aliis verbis: B. Virgo-Mater ad maternitatem divinam praedestinata est ita, ut sine hac destinatione ad existentiam non pervenisset, neque naturales has, quibus insignita est, corporis et animae dotes accepisset. Quare ipsa ejus existentia cum omnibus dotibus eximiis naturalibus ordinem naturalis providentiae egreditur et ad ordinem supernaturalis providentiae sive praedestinationis spectat. Aliter autem res se habet in ceteris praedestinatis, utpote in quibus praedestinatio existentiam et naturales dotes supponit et ad supernaturalem finem ordinat, non autem comprehendit. Merito enim *Cajetanus* distinguere videtur inter effectus per praedestinationem constitutos et alios per eam solum ordinatos: „Distingue inter effectus praedestinationis, quoniam quidam sunt non solum ordinati, sed constituti per praedestinationem, ut gloria et gratia, et universaliter finis et media ut sic. Quidam sunt solum ordinati contra (versus) praedestinationem, ut anima illius hominis qui est S. Petrus, et reliqua spectantia ad naturalem ordinem universi.“ (In 3. p. q. 1. a. 3.) Itaque verbi causa in S. Petro praedestinatio existentiam ejusdem et naturales dotes ad apostolatum ordinavit quidem, sed easdem non comprehendit sive constituit; vel de S. Petro dici nequit: si non eligendus fuisset ad apostolatum, ad existentiam non pervenisset. Ex opposito autem ita de B. Virgine-Matre loquendum est, ut ex pluribus rationibus patet:

60. Et *primo* quidem id inde consequi videtur, quod B. Virgo-Mater Christo Filio suo etiam in praedestinatione quam perfectissime assimilata et conjuncta apparet, ut jam dictum est. Cum igitur Christus ad humanam existentiam et redemptionis opus ita praedestinatus sit, ut sine hac destinatione ad humanam existentiam non pervenisset, item B. Virginem sine sua ad maternitatem divinam destinatione non exstituram

fuisse dicendum est. — Quod *secundo* confirmatur, quia B. Virgo ex communi ecclesiae sensu tamquam altera Eva ita ad Christum generatim referri debet, sicut prima Eva ad Adam refertur. Jamvero prima Eva in existentia ideo posita est, ut primo homini adjutorium simile esset atque mater omnium viventium naturalis. Ergo pariter alteri Evae B. Virgini-Matri existentia a Deo ab aeterno decreta et in tempore collata est, nonnisi ideo ut alteri homini Christo mater esset naturalis necnon adjutorium simile in opere redemptionis atque corporis Christi mystici mater supernaturalis sive spiritualis. — *Tertio* idem confirmatur ex pluribus SS. Patribus et Doctoribus, qui expressis verbis huic assertioni subscribunt. Ita v. g. *Andreas Cretensis:* „Si crux non esset, Christus in terra non fuisset, non Virgo, non secunda Christi generatio“ (Orat. 10. cruce). Et *Fulbertus Carnotensis:* „Cujus partus ad nihil aliud exstitit, nisi ut fieret ejus sancta pudicitiae domus et susceptio Filii altissimi; ad quid enim aliud?“ (Sermo de ortu almae V. M.) Item *Eadmerus:* „Et quidem quidquid dignius unquam de aliquo extra suam personam voluit, patet eum de te, o beatissima feminarum voluisse. Voluit enim te fieri matrem suam, et quia voluit, fecit esse. Coelorum itaque, terrarum ac marium et omnium elementorum, cum omnibus quae in ipsis sunt, domina et imperatrix existis, et ut ita esses, in utero matris tuae a primordiis conceptionis tuae operante Spiritu Sancto (i. e. miraculose, non vero conceptione virginali) creabaris. Ita est, bona domina, et gaudemus ita esse“ (De concept. B. V. n. 11.) Denique idem jam aperte declaravit *S. Joannes Damascenus*, ita enim B. Virginem matrem alloquitur: „O femina regis David filia Deique omnium regis mater. . . Vitam natura potiorem habebis. Habebis autem non tibi ipsa; quippe quae non tui ipsius causa genita sis. Quocirca Deo hanc habebis, cujus gratia in mundum prodiisti, ut orbis universi saluti obsequaris Deique antiquum consilium, nimirum incarnationis Verbi ac nostrae deificationis, per te impleatur“ (Homil. 1. in Nativit. B. V. M. n. 9.). — Ceterum *quarto* idem insinuant SS. Patres innumeris fere testimoniis, quibus B. Virginem tamquam tem-

plum vel habitaculum Filio Dei incarnando speciali modo et cura ab ipso Deo exstructum exhibent et celebrant.

61. *Opponi posset,* quod B. Virgo naturali generatione ex parentibus Joachim et Anna in existentiam prodiit, quare haec ad naturalis providentiae ordinem, non autem ad supernaturalem praedestinationem pertinere videtur. — Sed *respondetur facile duplici modo*: Et *primo* quidem praeterquam quod etiam naturalis conceptio et generatio multipliciter a Deo pendeat, cum anima a Deo creetur et foetui infundatur, in creatione et infusione determinatae animae B. Virginis praecise eo consilio ductus est Deus, quo volebat Filio suo nascituro dignam praeparare matrem; quod consilium si defecisset, non hanc individuam sed aliam animam foetui concepto infudisset. *Secundo* respondetur efficacissime per antiquam de ortu B. Virginis-Matris traditionem; secundum quam scilicet parentes B. Virginis Joachim et Anna naturaliter steriles per diuturnam orationem a Deo miraculose interveniente B. Virginem-Matrem fructum sui matrimonii divinitus obtinuerunt. Traditio quidem illa certa non est; verumtamen probabilitate magna non caret; ipsa autem admissa vel posita difficultas omnis penitus et clare aufertur atque insuper assertio quarto loco posita egregie confirmari illico perspicitur. Jamvero eadem traditio a pluribus Patribus et theologis refertur et acceptatur, ut v. g. a Joanne Damasceno (l. c. n. 2.; de fide orthodoxa l. 4. c. 15.). Andrea Cret. (Orat. 1. de assumpt. seu dormit. B. V. Deip.), Germano Const. (Orat. de praesent. n. 2.) Ps. Epiphanio (De laudib. Deip.), imperatore Leone (orat. de Nativit, matris Dei), Fulberto Carnotensi (serm. de Nativit. matris Dei), Dionysio Carthusiano (de laudibus Deiparae l. 1. a. 5.) aliisque pluribus.

62. *Ex omnibus, quae de praedestinatione B. Virginis-Matris disputata sunt, quaedam confirmantur vel melius intelliguntur, quae superius jam per transennam notata sunt. Et primo* quidem maternitas divina consideranda non est tamquam qualitas quaedam accidentaria ad B. Virginis existentiam contingenter accedens; sed quia ipsius hujus existentiae secundum aeternum Dei consilium et immutabilem praedestinationem

irrevocabilis ratio est, ideo potius eadem maternitas, ut B. Virginem ad Filium refert ipsique unit, vera quadam ratione personalem ejusdem Virginis characterem constituit; qui quidem sane non ex naturali essentia ejusdem efflorescit, sed cui ipsa tota individua B. Virginis constitutio adaptata et conformata esse credenda est. Qua in re B. Mater miro modo ipsum Deum Patrem imitatur, ut jam supra explicatum est (Th. 3. n. 20). — Quare *secundo* maternitas divina, quatenus personalem B. Virginis characterem constituit eamque ad Filium Dei incarnatum refert eique appropriat, secundum Dei praedestinationem non tantum cum conceptione ipsa et generatione Filii Dei incarnati demum ad B. Virginem accessit, sed eandem inde a sua propria conceptione affecisse et exornasse credenda est. Verum de hac re jam supra (ibid. n. 5. ss.) sufficienter dictum est.

2. B. Virgo-Mater in scriptura V. L. speciali **63.**
modo praedicta et praefigurata apparet. — Cum speciali praedestinatione B. Virginis arcte connectitur insignis ejusdem in lege vetere praedictio et praefiguratio, quia sicut illa ita et haec in summa dignitate et arctissima cum Filio Dei incarnato conjunctione rationem suam habet necnon haec illam supponit atque manifestat. Quare paucis saltem haec B. Virginis praedictio et praefiguratio exhibenda est.

1. B. Virgo-Mater praesignata est variis figuris vel typis tum personalibus tum realibus pluribus. — Et convenientissime quidem id factum esse atque aliter vix fieri potuisse consideranti patet. Quia enim, ut *Augustinus* dicit, Christo „prophetando venturo gens una deputata est, cujus reipublicae tota administratio prophetia esset illius regis venturi et civitatem coelestem ex omnibus gentibus conditturi" (de consensu Evangel. l. 1. c. 11. n. 17.), per se jam a quavis analogia alienum et improbabile apparet, nullos exstare in scriptura V. L. typos, qui Deiparam significent. Reipsa autem plures et varios ejusmodi typos in vetere testamento exstare una est Patrum et theologorum sententia.

a) Et *typi quidem personales* sive mulieres typicae com- **64.**
muniter recensentur: Eva protoparens, Maria prophetissa,

Rebecca, Rachel, Anna, Bethsabae, Judith, Susanna, Esther. *Qua ratione autem imprimis prima mulier Eva B. Virginem Matrem praesignaverit, non leve momentum habet atque paucis hoc loco explicandum est.* Quod ceteras illas mulieres attinet, in quibus rationem typi B. Virginis-Matris habuerint, facile ex ipsa eorum historia in scriptura relata eruitur. Itaque in protoparenti Eva notanda est primo relatio similitudinis cum Maria et secundo relatio oppositionis cum eadem.

65. Et *similitudinem quidem Eva triplicem exhibet cum Maria. Primo* scilicet cum Eva justitia originali praedita a Deo crearetur, item B. V. Maria ex meritis Redemptoris Filii sui futuri ab omni peccati labe purissima et summis gratiae et sanctitatis donis ornata in existentiam prodiit. — *Secundo* Eva ex Adae latere prodiit, utpote quae ex costa ejusdem a Deo formata est, quare virago dicta est; B. V. Maria vero secundum vitam suam supernaturalem simul cum ecclesia ex latere novi Adae in cruce pendentis prodiisse dici potest, quia videlicet post ipsum Christum praecipuum ecclesiae membrum ejusque prototypus est; ecclesiam enim a latere perfosso Christi in cruce pendentis prodiisse, usitata et fundata ratio loquendi est. — Denique *tertio*, sicuti Eva primo homini Adae socia data est atque ea ratione mater omnium hominum evasit, quod ipsum hoc *Evae* nomen declarat; ita B. V. Maria alteri homini Christo Redemptori intime associata est atque cum eo totum genus humanum ad vitam supernaturalem regeneravit, atque ea ratione, sicut Christus pater, ita ipsa mater omnium viventium evasit spectata vita illa supernaturali. Quare etiam ipse Christus jamjam moriturus in persona Joannis omnes homines tamquam filios eidem Virgini tamquam matri commendavit verbis: *Ecce filius tuus.* Apposite jam *Epiphanius*: „Ab Eva totius est in terris humani generis origo deducta; a Maria Virgine vita ipsa est in mundum introducta, ut viventem pariat et viventium sit mater“ (Haer. 78.). Quarum similitudinum ratione B. V. Maria merito altera et melior Eva salutari solet.

66. Ex altera autem parte *multiplex inter Evam protoparentem et B. Virginem-Matrem dissimilitudo vel oppositio*

consideranda est: Et primo quidem Eva Deo fructum arboris scientiae boni et mali prohibenti et poenam minanti fidem detrectavit, malo autem daemoni credens in peccatum et perniciem lapsa est: Maria autem Angelo Dei incarnationis mysterium annuntianti credidit atque, humilis ancilla Domini, se fidenter et sancte subjecit ideoque, ut ipsa praedixit, ab omnibus generationibus praeeunte cognata ejusdem Elisabeth merito beata praedicatur. — *Secundo* Eva malo spiritu acta mortis fructum Adae porrigens etiam ipsum et cum eo omnes posteros in perniciem traxit, Maria autem Spiritu Sancto foecundata fructum vitae progignens toti generi humano redemptionem attulit et salutem. — *Tertio* Eva in poenam criminis commissi cum concupiscentia et virginitatis laesione filios peccato infectos concepit et in doloribus peperit; Maria autem absque omni concupiscentia et salvo virginitatis honore Sanctum Sanctorum concepit et peperit ingenti cum laetitia et consolatione. — Denique *quarto* Eva cum Adamo seducto et praevaricatore Domino jubente ab Angelo e paradiso expellitur; Maria autem mox post Filium suum cum corpore et anima in coelestem beatitudinem transfertur atque in reginam coeli coronata ad dextram Filii sui sedet.

Sicuti illam similitudinem, ita et hanc oppositionem con- **67.**
siderant et ingeniose exhibent SS. Patres, v. g. S. *Irenaeus:* „Quemadmodum Eva inobediens facta et sibi et universo generi causa facta est mortis, sic et Maria . . . obediens et sibi et universo generi humano facta est causa salutis“ (Adv. haer. 3, 22.). Et *Augustinus:* „Iisdem gradibus, dilectissimi, quibus perierat humana natura, a Domino Jesu Christo reparata est. Adam superbus, humilis Christus: per feminam mors, per feminam vita: per Evam interitus, per Mariam salus. Illa poculum a serpente propinatum libenter accipit et viro tradidit, ex quo simul mereretur occidi, haec gratia coelesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari“ (Serm. 8. ad catech.). Et alibi iterum: „Summa cum exultatione gaudeat terra nostra tantae Virginis illustrata die solemni. Haec est enim flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium convallium, per cujus partum

mutatur natura, protoplastorumque deletur et culpa. Praecisum est in ea illud Hevae infelicitatis elogium, quo dicitur: In tristitia paries filios: quia ista in laetitia Dominum parturivit. Heva enim luxit, ista exsultavit. Heva lacrimas, Maria gaudium in ventre portavit: quia illa peccatorem, ista edidit innocentem.... Mater generis nostri poenam intulit mundo; Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percussit; ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur; fides pro perfidia compensatur" (Sermo 18 de Sanctis 2. de Annuntiat.). Similiter S. Bernardus pluries eandem oppositionem exhibet, nominatim in homiliis *Super missus est.*

68 b) Sed etiam *typos reales vel figuras inanimatas B. Virginis-Matris in antiquo testamento exstitisse* communis Patrum et theologorum et ipsius magisterii authentici doctrina est, etsi in assignandis singulis diversitas inveniatur. Praestat autem etiam horum typorum realium, qui a Patribus et doctoribus notati sunt, conspectum aliquem exhibere: Itaque plures sic comprehendit *S. Joannes Damascenus:* „Tu es *solium illud regium*, cui angeli adstiterunt suum herum et creatorem cernentes insidentem. Tu *spiritualis es Eden*, antiqua illa sanctior ac divinior: in illa siquidem terrenus Adam commorabatur, in te autem Dominus, qui de coelo descendit. Te olim *arca* figuravit, in qua secundi mundi semen servatum fuit: tu enim Christum mundi salutem peperisti, qui peccatum quidem submersit ejusque fluctus sedavit. Te *rubus* delineavit, *tabulae a Deo exaratae* expresserunt, *legis arca* praenuntiavit, *urna aurea, candelabrum, mensa, virga Aaronis*, quae floruit, aperte praesignarunt: nam ex te flamma divinitatis, Patris terminus et Verbum, suavissimum illud et coeleste manna, nomen illud nominis expers, quod est super omne nomen, lumen illud sempiternum et inaccessum, vitae panis coelestis, nulla cultura editus fructus, ex te corporaliter pullulavit. Quid? Annon te *fornax* illa praemonstravit, cujus ignis roridus simul ac flammeus erat, quae divini ignis in te habitantis figuram prae-

ferebat? Quin *Abrahami tabernaculum* te manifestissime significabat: Deo quippe Verbo in utero tuo velut in tabernaculo degenti humana natura subcinericium panem, sui primitias, ex purissimo sanguine tuo obtulit, divino igne coctas panemque factas, in divina ejus persona subsistentes et ad veram corporis anima rationali et intelligente instructi existentiam venientes. Parum abfuit, quin me *Jacob scala* praeteriret: quid enim? annon nimis perspicuum est, te ea praesignatam figuratamque esse? ut enim ille per extremas scalae partes coelum cum terra copulatum et angelos per eam descendentes et ascendentes, quin etiam illum, qui vere fortis insuperabilisque est, typice secum luctantem vidit: sic tu quoque mediatricis munus obiens effectaque Dei ad nos descendentis scala, ut debilem nostram naturam assumeret sibique copularet et uniret adeoque hominum mentem videntem Deum redderet, ea quae dirempta erant, collegisti, quocirca angeli ad eam descenderunt, uti Domino ac Deo inservirent; homines autem angelicum vitae genus amplectentes in coelum evehuntur. Quodnam est *dominicum illud vellus*, in quod regis omnium Dei Filius, qui Patri coaeternus est ejusque regni consors, pluviae instar descendit? annon tu perspicue? . . . Quid *mons ille Danielis* (2, 34.), ex quo lapis angularis Christus sic abscissus fuit, ut viri scalprum non subierit? Nonne ipsa es, quae nullo semine suscepto peperisti ac rursus virgo permansisti? Veniat divinissimus Ezechiel *clausamque portam* ostendat (44, 2.) Domino perviam, nec tamen apertam, quemadmodum prophetico instinctu praenuntiavit, dicta sua eventu comprobata monstret: te procul dubio ostendet, per quam transiens, qui super omnia Deus est, assumpta carne, virginitatis portam nequaquam aperuit; signaculum quippe in aeternum perseverat. Quocirca te prophetae praedicant, tibi ministrant angeli, inserviunt apostoli, virgo ille ac theologus, perpetuae virgini Deique genitrici" (Homil. in dormit. B. M. V. 1, 8. ss.).

Similiter alii Patres praesertim orientales et ex occiden- **69.**
talibus Bernardus eosdem fere necnon alios insuper B. Virginis typos recensent, ut v. g. Germanus (Orat. in Deip.

nativit.), Theodorus studita (oratio 6. in Deip. dormit. n. 4.) aliique.

70. Verum multi ex his, qui a Patribus assignantur typi B. Virginis-Matris, etiam *in ipsa liturgia ecclesiastica* exhibentur, ut v. g.: In festo circumcisionis orat ecclesia: „Rubum, quem viderat Moyses incombustum, agnovimus tuam laudabilem virginitatem“: et iterum: „Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletae sunt scripturae: sicut pluvia in vellus descendisti.“ Item huc spectant invocationes in litaniis lauretanis adhibitae: „Turris Davidica, turris eburnea, domus aurea, foederis arca“ aliaque plura.

71. Quare mirum non est, quod horum typorum ad B. Virginem applicationem etiam *Pius IX. in bulla Ineffabilis* usurpavit adeoque sua auctoritate munivit: „Hunc eximium singularemque Virginis triumphum excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem ejusque ab omni labe integritatem, atque ineffabilem coelestium omnium gratiarum, virtutum ac privilegiorum copiam et magnitudinem iidem Patres viderunt tum in *acra illa Noë,* quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit; tum in *scala* illa, quam de terra ad coelum usque pertingere vidit Jacob, cujus gradibus Angeli Dei ascendebant, cujusque vertici ipse innitebatur Dominus; tum in *rubo* illo, quem in loco sancto Moyses undique ardere ac inter crepitantes ignis flammas non jam comburi aut jacturam vel minimam pati, sed pulchre virescere ac florescere conspexit; tum in *illa inexpugnabilli turri* a facie inimici, ex qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium; tum in *horto illo concluso*, qui nescit violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; tum in *corusca illa Dei civitate*, cujus fundamenta in montibus sanctis; tum in *augustissimo illo Dei templo,* quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloria Domini; tum in aliis ejusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam in Deiparae dignitatem ejusque illibatam innocentiam, et nulli unquam naevo obnoxiam sanctitatem insigniter praenuntiata fuisse Patres tradiderunt. — Ad hanc eandem divinorum munerum veluti summam, originalemque

Virginis, de qua natus est Jesus, integritatem describendam iidem Prophetarum adhibentes eloquia non aliter ipsam augustam Virginem concelebrarunt ac uti columbam mundam et sanctam Jerusalem, et excelsum Dei thronum, et arcam sanctificationis et domum, quam sibi aeterna aedificavit Sapientia, et Reginam illam, quae deliciis affluens et innixa super Dilectum suum ex ore Altissimi prodivit omnino perfecta, speciosa ac penitus cara Deo, et nullo unquam labis naevo maculata."

2. *B. Virgo-Mater etiam pluribus vaticiniis oralibus* 72.
expressis verbis praenuntiata est. — Sane vix aliter fieri potuit: cum enim Deus in scriptura non tantum rebus i. e. typis loquatur, sed etiam verbis formalibus, mirum esset, si B. Virgo-Mater typis tantum praefigurata, non autem expressis verbis praedicta esset. Reipsa igitur vaticinia realia et oralia in scriptura intime connexa occurrunt ita, ut inter se misceantur atque se invicem compleant et declarent; unde etiam Pius IX. in ultimis sententiis expositionis modo relatae a typis ad vaticinia verbalia commode et apte transitum facit. Duplex autem genus vaticiniorum oralium de B. Virgine discerni potest: nimirum alia sensu directo et immediato de eadem loquuntur; alia vero magis sensu mediato et indirecto ad eam spectant et referuntur, quatenus scilicet objectum immediate significatum ejusdem figura vel typus est.

a) Ad *primum genus, sc. testimoniorum immediatorum,* 73.
spectat *imprimis* Gen. 3, 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius; ipsa (ipsum) conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Hoc vaticinium, quod protoevangelium dici solet, prae omnibus eminet, quatenus B. Virginem-Matrem in arctissima unione cum Christo redemptore atque ut cooperatricem in opere redemptionis exhibet necnon alias plures ejusdem Virginis praerogativas implicite continet et manifestat, ut inferius constabit. 74.

Secundo accedit vaticinium *Isaiae* prophetae: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (7, 14.). Quod testimonium egregium pariter Mariologiae locum classi-

cum praebet ad demonstrandam tum maternitatem divinam tum virginitatem illibatam.

75. *Tertio* sequitur alterum *Isaiae* vaticinium: *Et egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet.* (11, 1.). Hoc scilicet testimonium certissime messianicum est, quatenus flos Christus intelligendus est; sed ad Mariologiam quoque spectat, quatenus Christus ex genere Jesse vel David nasciturus exhibetur ideoque maternitas divina B. Virginis insinuatur; verum multi vel plerique Patres imprimis ipse Hieronymus nomine *virgae* ipsam B. Virginem etiam expresse significatam intelligunt; quod saltem cum protoevangelio necnon cum priori Isaiae testimonio egregie concordat.

76. *Quarto* accedit vaticinium *Ezechielis* novum templum (i. e. ecclesiam) a se visum describentis: *Et convertit me ad viam portae sanctuarii exterioris, quae respiciebat ad orientem; et erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta haec clausa erit; non aperietur et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam; eritque clausa principi; princeps ipse sedebit in ea* (44, 1—3.). Scilicet in hac porta clausa et soli Deo pervia permulti Patres et Doctores virginalem maternitatem figurate expressum vident. De qua re *Hieronymus:* „Pulchre quidam portam clausam per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, Mariam virginem intelligunt quae et ante partum et post partum virgo permansit.“ Et *Knabenbauer* textum saltem sensu consequenti virginalem maternitatem exprimere concedit (p. 463).

77. *Quinto* addendum est vaticinium *Jeremiae* prophetae: *Creavit Deus novum super terram, mulier circumdabit virum* (31, 22.). Hoc enim testimonio item permulti Patres et Doctores supernaturalem vel miraculosam conceptionem Christi per B. Virginem Matrem significatam vident. Nec immerito; recte *Knabenbauer*: „Virgo enim in utero gerens Messiam est utique sensu planissimo femina circumdans virum. Hoc autem mysterium, utpote maximum Dei beneficium, esse simul rationem gravissimam, cur ad foedus Dei accedant (ut praecedentibus verbis admonetur) quis negabit? Unde haec explicatio et verbis et contextui quam maxime respondet“

(In h. l.). Dicitur autem *virum,* non infantem, *circumdabit* ut ille, qui circumdatus dicitur, tamquam perfectus spiritu exhibeatur et nullius evolutionis et progressus capax, atque in hoc praecise illud *novum* cernitur.

Sexto notandum etiam est insigne vaticinium *Michaeae* **78.** prophetae: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet; et reliquiae fratrum ejus convertentur ad filios Israel* (5, 2, 3.). Scilicet hoc testimonio iterum clarissime divina maternitas B. Virginis sistitur; sed etiam virginitas insinuatur, quatenus nullius viri generantis mentio fit; necnon verbis emphaticis *parturiens pariet* maternitas divina ut character distinctivus B. Virginis exhiberi videtur. Denique rem attente considerantem percellit etiam similitudo hujus singularis expressionis cum descriptione mulieris praegnantis et parturientis, quae in Apocalypsi repraesentatur (2, 1. ss.).

Item *septimo* huc spectat *canticum canticorum* praesertim **79.** quoad plures versus. Etenim cum hoc canticum sensu allegorico litterali intelligendum sit atque ita intellectum desponsationem Christi cum ecclesia generatim necnon cum singulis animabus justis in specie describat ac celebret, certissime nomine *sponsae* etiam B. VirgoMater exhibetur. Atque vel primo loco ipsa intelligenda est in iis versibus, quibus magnifica sponsae pulchritudo necnon intima ejusdem cum sponso unio celebrantur, utpote quae in ea tamquam matre Redemptoris et in redemptione socia necnon primario membro et typo ecclesiae maxime verificantur. Imo vero plures versus immediato et pleno sensu nonnisi ipsam solam spectare possunt. Quod valet v. g. de his imprimis versibus: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (2, 2). *Tota pulchra es, amica mea et macula non est in te.* (4, 7.) *Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae et beatissimam praedicaverunt, reginae et concubinae et laudaverunt eam* (6, 9). *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra*

ut luna, electa ut sol, teribilis ut castrorum acies ordinata? (6, 9.) Merito igitur haec et alia ex hoc cantico tum a Patribus et Doctoribus tum ab ipsa ecclesia in liturgia usurpantur ad summam B.V. puritatem, immaculatam conceptionem, necnon gratiarum omnium abundantiam illustrandam et comprobandam.

80. Denique *octavo* huc spectat etiam *psalmus 44,* imprimis altera ejusdam pars, utpote qui psalmus directe Messianicus est atque epithalamium Christi cum ecclesia celebrat; ideoque in nuce quasi canticum canticorum continet et exhibet. Quare sicuti in cantico per sponsam ita in hoc psalmo per reginam imprimis etiam B. Virgo-Mater exhiberi credenda est; atque revera, quae de regina enuntiantur, ita sensu pleno nulli alii ac B. Virgini-Matri conveniunt, ut consideranti ipsum textum illico patet: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum et domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum. Et filiae Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Omnis gloria ejus filiae regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus. Adducentur regi virgines post eam, proximae ejus afferentur tibi. Afferentur in laetitia et exultatione, adducentur in templum regis. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum et in saeculum saeculi. (11—18.)* Ex quibus versibus simili ratione qua ex cantico diversae B. Virginis praerogativae, ut puritas atque pulchritudo supernaturalis necnon fecunditas spiritualis merito deducuntur vel confirmantur.

Atque haec de vaticiniis directe et immediate B. Virginem spectantibus hoc loco dixisse sufficit. Etenim aliqua ex iisdem inferius, ubi de singulis praerogativis B. Virginis-Matris agetur, enucleatius explicanda erunt.

81. *b) Aliis scipturae testimoniis B. Virgo mediate praesignata esse videtur.* Huc spectant plura alia testimonia

tum ex psalmis, tum ex cantico canticorum, tum ex libris sapientialibus, quae, etsi directe B. Virginem non spectent, nihilominus ad eandem non solum a theologis saepius sed etiam ab ipsa ecclesia frequenter applicantur, praesertim quando B. Virginem tamquam sanctuarium Dei, sponsam Christi, Filiam Dei primogenitam, reginam coelestem, totius mundi matrem celebrare intendunt. Verum de horum testimoniorum ad B. Virginem applicatione non est una theologorum sententia: alii enim his testimoniis vel multis eorundem B. Virginem directe significatam viderunt ideoque directa argumenta scripturistica inde derivare voluerunt; quae sententia excessu peccat atque nullam probabilitatem habere videtur. Alii in illo eorundem testimoniorum usu nonnisi meram accommodationem viderunt, quae non scripturae sensum, sed potius accommodantis persuasionem pandat; quae sententia defectu peccare forte merito dicatur. Quare denique iterum alii mediam viam incedentes illa testimonia non quidem sensu directo vel immediato, sed sensu mediato vel indirecto, i. e. typico necnon consequenti ex intentione Spiritus Sancti B. Virginem spectare statuunt, quatenus scilicet objecti immediate significati antitypus vel typus vel alio modo imago est vel cum eo intime connectitur; atque haec doctrina saltem quoad aliquos ex notatis scripturae locis probabilitate carere non videtur; quare paucis explicanda est.

Ex psalmis, sepositis paucis illis, quae B. Virginem **82.**
directe spectare videntur, huc referenda sunt illa, quibus magnificentia et sanctitas electi tabernaculi Dei celebratur. Immediate enim in his locis urbs hierosolymitana cum monte Sion necnon templum cum arca foederis vel coelum atque cum eo sol significantur. Cum autem haec Dei tabernacula materialia V. L. communiter tamquam typi agnoscantur tabernaculorum vivorum et spiritualium N. L., i. e. ecclesiae necnon praesertim B. Virginis-Matris, quae sane, ut ex superioribus patet, Dei tabernaculum vel templum est per excellentiam; consequenter testimonia illa, quae celebrant materialia V. L. templa, sensu mediato et typico B. Virginem spectant. *Praeterea* autem etiam seposito sensu typico ex alia adhuc ratione ejus-

modi testimonia merito ad B. Virginem referuntur; scilicet, magnificentia et sanctitas, quae de ceteris Dei habitaculis in scriptura enuntiantur, ex ipsa rei natura et interna necessitate atque eminentiore sensu de B. Virgine-Matre valere intelliguntur. Quare eadem testimonia non solum sensu typico, sed etiam sensu, quem dicunt consequentem, merito de B. Virgine praedicantur atque argumenta ad ejusdem perfectiones illustrandas et etiam demonstrandas praebent. Ad hoc genus testimoniorum scripturae imprimis spectat totus ps. 86.: *Fundamenta ejus in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei . . . Numquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea; fundavit tabernaculum suum Altissimus* . . Item huc spectant ps. 45, 5—6: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio ejus, non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo;* deinde 131, 13. ss. *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi;* denique etiam ps. 67, 16. 17.: *Mons Dei mons pinquis, mons coagulatus, mons, in quo beneplacitum est Deo, habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem.*

83. *Ex cantico canticorum* huc referenda sunt ea, quae immediate et directe ecclesiam tamquam Christi sponsam spectant; haec enim necessario valent sensu mediato et typico de B. Virgine-Matre, utpote quae typus vel exemplar ecclesiae est necnon primum membrum vel radix ejusdem. Quo saltem sensu de eadem valet descriptio sponsae in capite 4 atque imprimis imagines horti conclusi et fontis signati necnon alia plura. Sed alia iterum nonnulla sensu directo et immediato B. Virginem spectare videntur, ut jam supra dictum est.

84. Deniqne huc referuntur plura testimonia *ex libris sapientialibus* (Prov. 8., Sir. 24., Sap. 7.), quibus sapientia subsistens et personalis ejusque origo, magnificentia et operatio vivis coloribus describuntur. Nimirum exhibetur ut ex Deo emanans tamquam perfectissima ejusdem imago necnon socia atque adjutrix ideoque filia eminenti sensu; et consequenter ut regina mundi vel omnium rerum atque mater vitae et lucis celebratur. Quae testimonia praesertim ab ipsa

ecclesia in sua liturgia frequenter ad B. Virginem-Matrem applicantur, ut praeclarae ejusdem praerogativae in sua luce ponantur. Ita missarum B. M. V. necnon primi nocturni Breviarii ejusdem lectiones fere omnes illis scripturae locis constituuntur.

Jam quoad haec imprimis librorum sapientialium testi- 85.
monia quaeritur, quem valorem habeat eorundem ad B. Virginem applicatio. — Itaque ex sententia longe praevalenti theologorum eadem applicatio tamquam mera accommodatio consideranda est, quae tamen in natura rei, i. e. in intima unione et assimilatione B. Virginis-Matris cum Sapientia incarnata fundamentum habeat omnino verum atque solidum. Quare illa testimonia rationem vaticinii sive verbi divini de B. V., enuntiati quidem non habent, verum saltem ex mente accommodantis ecclesiae eandem sistunt tamquam perfectissimam sapientiae subsistentis incarnatae imaginem eidem intime conjunctam, in qua pariter omnes illae perfectiones et praerogativae descriptae servata proportione inveniantur. Quae sententia ex bulla *Ineffabilis* confirmari videtur, utpote in qua consentanee cum ea de illis testimoniis ad B. Virginem applicatis haec verba jam supra relata enuntiantur: „Ipsissima verba, quibus divinae scripturae de increata sapientia loquuntur ejusque sempiternas origines repraesentant, consuevit (ecclesia) tum in ecclesiasticis officiis tum in sacrosancta liturgia adhibere et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum divinae sapientiae incarnatione fuerunt praestituta.“ — Verum huic sententiae communi opposita exstat aliorum paucorum sententia, secundum quam etiam illi loci librorum sapientialium sensu aliquo litterali de B. Virgine merito intelliguntur. Ita v. g. Scheeben (Dogmatik 3. Bd. n. 1541. ss.), aperte docet necnon Terrien eidem sententiae favere videtur (La mère de Dieu. t. 1. p. 143, in nota subjecta). Nimirum secundum hanc sententiam ecclesia nequaquam solum comparando illam sapientiae descriptionem in scriptura cum praerogativis B. Virginis aliunde notis illam cum his contingenter vel de facto congruere invenit, sed potius

ex intima B. Virginis cum sapientia incarnata unione necessitatem ejusdem congruitatis intulit: quare merito concluditur, applicationem illorum testimoniorum ad B. Virginem ab ipso Spiritu Sancto tamquam sensum litteralem saltem consequentem intentum esse. Nimirum B. Virgo cum Sapientia incarnata intime copulata est tamquam sedes et habitaculum ejusdem necnon sponsa atque mater, ita ut etiam tamquam aurora lucis sapientiae atque mulier amicta sole exhibeatur; unde similiter, ac Eva cum Adam, et ipsa cum Sapientia incarnata unam quodammodo personam moralem vel juridicam constituit. Quemadmodum igitur Eva tamquam adjutorium *simile* Adae participat rationem imaginis Dei naturalis, quam Adam habet, ita etiam B. Virgo participare debet servata proportione rationem imaginis Dei illius sublimioris, qualis Sapientia incarnata in scriptura exhibetur. Cum hoc autem conexum esse videtur, illos scripturae locos etiam B. Virginem spectare saltem sensu mediato vel consequenti. Confirmatur, quia in cantico canticorum sponsa tamquam perfectissima sponsi imago necnon iisdem fere ac sponsus et Sapientia coloribus depingitur. (cf. cantic. 4, 10. ss. et Sir. 24, 17. ss.) Ita Scheeben l. c. — Atque haec quidem cum aliis ibidem ingeniose quidem dicta sunt atque forte omni probabilitate non carent, verum non satis probari neque perspicue satis exponi videntur; praesertim illud non satis elucet, sensum, quo descriptiones illae de B. Virgine enuntiantur, a Spiritu S. intentum esse; quod quidem generatim de sensu consequente, quem dicunt, valere videtur. Quidquid autem est, consideranti facile apparet, quam aptissimae sint descriptiones Sapientiae a scriptura exhibitae ad praerogativas diversas B. Virginis-Matris exhibendas et illustrandas, ut v. g. ejusdem praecellentem praedestinationem et electionem, summam sanctitatem et puritatem, assumptionem et exaltionem, mediationem vel maternitatem universalem erga homines. Exemplo sint haec ad mediationem vel maternitatem relata: *„Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et*

veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. Transite ad me, omnes qui concupiscitis me et a generationibus meis implemini, spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes saeculorum. Qui audit me non confundetur, et qui operantur in me non peccabunt; qui elucidant me vitam aeternam habebunt." (Eccli 24, 23.—31.)

3. B. Virgini materna sua ac virginalis con- 86.
ceptio Filii Dei congrua atque insigni ratione annuntiata est. — Sicuti praedestinatio praecellens atque eximia praefiguratio et praedictio B. Virginis, ita etiam divina annuntiatio conceptionis eidem Virgini per angelum facta maximam cum praecelsa ipsius dignitate convenientiam habet ejusque excellens est manifestatio. Re enim vera, ut *Knabenbauer* cum Salmerone notat, „suavissimum hoc et pulcherrimum annuntiationis evangelium insignem et omni ex parte illustrem legationem continet. Magnus est enim, immo maximus ille princeps qui mittit; magnus et ille qui mittitur; rursus magna quoque est illa ad quam legatio destinatur; magnum quoque, immo praestantissimum est negotium, de quo tractatur, non particulare sed universale et ad omnium salutem spectans. Tanto igitur haec legatio omnibus aliis praecellit, quanto Deus major est homine et quanto negotium Incarnationis omnia mundi negotia superare dignoscitur." (In Luc. 1, 16. ss.) Quare breviter saltem annuntiatio illa consideranda est; quod praestare juvat insistendo vestigiis atque fere verbis S. Thomae, utpote qui imprimis illius annuntiationis tum in se tum in suis adjunctis consideratae convenientiam et excellentiam egregie declaravit.

1. „*Congruum fuit B. Virgini annuntiari, quod esset* 87.
Christum conceptura. — *Primo* quidem, ut servaretur congruus ordo conjunctionis Filii Dei ad Virginem, ut scilicet prius mens ejus de ipso instrueretur, quam carne eum conciperet. . . — *Secundo*, ut posset esse certior testis hujus sacramenti, quando super hoc divinitus erat instructa. — *Tertio*, ut voluntaria sui obsequii munera Deo offerret, ad quod se promptam obtulit dicens: *Ecce ancilla Domini.* —

Quarto ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam. Et ideo per annuntiationem exspectabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae" (S. th. 3. p. q. 30. a. 1.)

88. Ex quibus rationibus *specialem considerationem meretur quarta,* utpote qua imprimis sapiens Dei providentia in restaurando genere humano resplendet. Etenim quemadmodum, ut jam supra dictum est, prima mulier Eva diabolo libere consensum praebendo infeliciter cooperata est ad humani generis ruinam, ita ex divina ordinatione B. Virgo, altera Eva, cum fide viva libere consentiendo incarnationi in ipsa perficiendae cooperari debuit et cooperata est ad humani generis restaurationem et salutem, utpote quae inducta est per incarnationem Filii Dei; haec autem merito consideratur tamquam spirituale inter Filium Dei et humanam naturam matrimonium. Quae cum ita sint, in hoc ordine divinae providentiae incarnationis executio ideoque redemptio inde consequens vera quadam ratione dependisse merito dicitur a fide, quam B. Virgo divino nuntio praestitit necnon a prompta voluntate, qua se ordinationi divinae subjecit verbis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quare ex hac imprimis causa SS. Patres non dubitant, salutem nostram B. Virgini-Matri in acceptis referre. Ita v. g. *S. Bernardus* eandem his verbis compellat: „Audisti, quia concipies et paries filium; audisti, quod non per hominem, sed per Spiritum Sanctum. Exspectat angelus responsum, tempus est enim, ut revertatur ad Deum, qui misit illum. Exspectamus et nos, o Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostrae; statim liberabimur, si consentis. In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, et ecce morimur, in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat a te, o pia virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exul de paradiso, hoc Abraham, hoc David. Hoc ceteri flagitant sancti patres, patres scilicet tui, qui et ipsi habitant in regione umbrae mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus exspectat. Nec

immerito, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod exspectant et superi. Ipse quoque omnium Rex et Dominus, quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat et responsionis assensum, in qua nimirum proposuit salvare mundum. Et cui placuisti in silentio, jam magis placebis ex verbo, cum ipse tibi clamet de coelo: O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Numquid non hoc est quod quaerebas, quod gemebas, quod diebus et noctibus orando suspirabas? Quid igitur? Tu es, cui hoc promissum est, an aliam exspectamus? Immo tu ipsa, non alia. Tu, inquam, illa promissa, illa exspectata, illa desiderata, ex qua Jacob jam morti appropinquans vitam sperabat aeternam, cum dicebat: *Expectabo salutare tuum, Domine.* In qua denique et per quam Deus ipse rex noster ante saecula disposuit operari salutem in medio terrae . . . Responde itaque citius Angelo, immo per Angelum Domino . . . Aperi virgo beata, cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, et rursus incipias dolens quaerere quem diligit anima tua! Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confessionem“ (Hom. 4. super *Missus est* n. 8.).

2. „*Conveniens fuit matri Dei annuntiari per angelum divinae incarnationis mysterium, propter tria:* — *Primo* quidem, ut in hoc etiam servaretur divina ordinatio, secundum quam mediantibus angelis divina ad homines perveniunt . . — *Secundo*, hoc fuit conveniens reparationi humanae, quae futura erat per Christum; unde Beda dicit (in homil. in festo Annunt. in princ., et est inter hiemales de SS.): ‚Aptum humanae reparationis principium, ut angelus a Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam divino, quia prima perditionis humanae fuit causa, cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiae decipiendam. — *Tertio*, 89.

quia hoc congruebat virginitati matris Dei; unde Hieronymus (alius auctor) dicit in sermone Assumptionis (inter princ. et med.), ‚Bene angelus ad Virginem mittitur, quia semper est angelis cognata virginitas. Profecto in carne praeter carnem vivere non terrena vita est, sed coelestis.'" (Ibid. a. 2.)

90. Inter quas rationes imprimis *secunda attentionem sibi vindicat*, quippe qua pariter sapiens Dei consilium in restauratione humani generis accomodanda lapsui ejusdem manifestatur. Quam accommodationem vel harmoniam SS. Patres saepius notant. Ita v. g. *Tertullianus:* „Et hic ratio defendit, quod Deus imaginem et similitudinem suam a diabolo captam aemula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis. In virginem aeque introducendum erat verbum exstructorium vitae, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli; quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit." (De carne Christi c. 17.) Item *S. Chrysologus:* „Audistis hodie angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, ut homo omnibus iisdem quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria angelus de salute, quia cum Eva angelus egerat de ruina." (Serm. 142. de Virg. annuntiat.) Atque iterum: „Christi talis est ordo nascentis: ad virginem diabolus venerat; venit angelus ad Mariam, ut quod malus dejecerat angelus, bonus angelus allevaret. Perfidiam suasit ille, hic fidem; suasori credidit illa, ista credit auctori. Nascitur Christus, ut nascendo corruptam redintegret naturam; portat hominem, ne jam cadere homo possit; quem terrenum fecerat, fecit esse coelestem." (Serm. 148. de incarn. sacramento.)

91. 3. *„Angelus annuntians apparuit matri Dei corporea visione et hoc conveniens fuit.* — *Primo* quidem, quantum ad id, quod annuntiabatur. Venerat enim angelus annuntiare incarnationem invisibilis Dei, per quam visibilis fieret, unde etiam conveniens fuit, ut ad hujus rei declarationem visibilis creaturae formam assumeret, in qua visibiliter appareret;

cum etiam omnes apparitiones veteris testamenti ad hanc apparitionem praeordinentur, qua Filius Dei in carne apparuit. — *Secundo* fuit congruum dignitati matris Dei, quae non solum in mente, sed in corporeo ventre erat Dei Filium receptura, et ideo non solum mens ejus, sed etiam sensus corporei erant visione angelica retovendi. — *Tertio* congruit certitudini ejus, quod annuntiabatur. Ea enim, quae sunt oculis subjecta certius apprehendimus, quam ea quae imaginamur." (Ibid. a. 3.) — Quae rationes omnes planae sunt nec confirmatione egent.

4. „*Annuntiatio congruo ordine per angelum est perfecta.* — Tria enim angelus intendebat circa virginem. *Primo* quidem reddere mentem ejus attentam ad tantae rei considerationem; quod quidem fecit, eam salutando quadam nova et insolita salutatione . . . In qua quidem salutatione praemisit idoneitatem ejus ad conceptum in hoc quod dixit: *gratia plena;* expressit conceptum in hoc quod dixit: *Dominus tecum*, et praenuntiavit honorem consequentem, cum dixit: *Benedicta tu in mulieribus.* — *Secundo* autem intendebat eam instruere de mysterio incarnationis, quod in ea erat implendum; quod quidem fecit praenuntiando conceptum et partum, dicens: *Ecce concipies in utero etc.* et ostendendo dignitatem prolis conceptae, cum dixit: *Hic erit magnus* etc., et etiam demonstrando modum conceptionis, cum dixit: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* — *Tertio* intendebat animum ejus inducere ad consensum: quod quidem fecit exemplo Elisabeth, et ratione ex divina omnipotentia sumpta." (Ibid. a. 4.) — Quae rationes item clarae sunt nec explicatione ulteriore indigent. **92.**

Ex omnibus vero, quae circa annuntiationem incarnationis dicta sunt, pariter ac ex illis, quae circa praedestinationem necnon praedictionem et praefigurationem B. Virginis explicata fuere, clare patet, quanta quasi industria et providentia maternitas divina a Deo sit praeparata et effecta; quod multum sane ad dignitatem ejusdem cognoscendam et aestimandam confert. **93.**

Articulus quartus.

De maternitate divina, quatenus B. Virginem formaliter sanctificet.

Thesis 4. Maternitas divina B. Virginem formaliter sanctificare dicenda est

Declaratio.

1. *1. Diversae theologorum sententiae.* — Ad maternitatem divinam ejusque dignitatem adhuc magis illustrandam et profundius perspiciendam multum confert inquirere, num eadem praecisa a gratia sanctificante per se solam B. Virginem formaliter sanctificet. Cum igitur haec quaestio gravi momento non careat, parum tamen a theologis tum veteribus tum modernis tractata invenitur; quippe quam plerique ne attingunt quidem, alii breviter necnon leviter saepius expediunt, atque paucissimi tantum pro rei dignitate tractant. Verum non eadem ratione, sed duplici vel triplici diversa ad hanc quaestionem respondent theologi, qui eandem attigerunt. *Et plures quidem opinantur*, maternitatem divinam nequaquam inter gratias gratum facientes, sed potius inter gratias gratis datas computandam esse, quemadmodum v. g. apostolatum vel characterem sacramentalem; quare absolute negant, B. Virginem per eandem formaliter sanctificari. Verum aliqui ex iisdem theologis addere solent, B. Virginem per maternitatem divinam sanctificari saltem fundamentaliter vel radicaliter, quatenus scilicet maternitas divina est fundamentum vel radix moralis, sicut aliorum eximiorum donorum supernaturalium, ita etiam insignis prorsus gratiae sanctificantis eamque exigat in summo quodam gradu. Ita v. g. *Rhodes*, qui has assertiones ponit: „Statuendum . . . est primo, matemitatem Dei, si seorsim sola sumatur sine ullis ornamentis gratiae, quae connaturaliter requirit, nullo modo esse formam sanctificantem immediate Mariam Deiparam . . . Statuendum est secundo, maternitatem Dei tametsi non immediate sanctificet, dici tamen posse aliquo modo formam sanctificantem remote, quatenus connaturaliter exigit gratiam expulsivam

cujuslibet peccati et virtutum omnium habitus, quibus anima efficitur justa.“ (In 3. p. s. th. S. Th., disp. de B. V. M. q. 4. s. 1.). Similiter ex recentioribus Pesch, Prael. t. 4. prop. 47. coroll. a.; Muncunil, De Verbi incarnatione, n. 1137; Van Noort, De Deo redemptore, n. 198.; Pohle, Dogmatik II[5] p. 267; Morgott, Die Mariologie des hl. Thomas, n. III.

Ex altera parte item plures docent, maternitatem divinam habere veram rationem gratiae gratum facientis ideoque B. Virginem per eandem seorsim sumptam vel a gratia sanctificante praecisam immediate et formaliter sanctificari; analoga scilicet ratione, ac humana Christi natura immediate et formaliter sanctificatur per unionem hypostaticam seorsim consideratam et praecisam a gratia habituali accidentali. Ita v. g. ex antiquioribus imprimis Ripalda, De ente supernaturali, disp. 79; Vega, Theologia Mariana, n. 1602. ss.; Sedlmayr, Theologia Mariana, p. 4. s. 1. q. 10.; ex recentioribus vero Scheeben, Handbuch, n. 1609. ss.; Janssens, De Deohomine, t. 2. p. 477. et 498.; Hugon, La mère de grâce, 2. p. cl. 4; aliique nonnulli. — Atque haec altera sententia, etsi multos patronos non habeat, probabilior et verior, imo satis certa esse videtur, dummodo statu quaestionis accurate et rite difinito, recte concipiatur et in determinatum sensum exponatur; quod ipsum non solum ab adversariis sed vel a patronis ejusdem aliquando non satis praestatur; unde ambiguitas quaedam oriri atque a nonnullis quasi aër verberari solet. Itaque ad statum quaestionis rite definiendum atque rectum hujus sententiae sensum intelligendum pauca quaedam adhuc notanda sunt: 2.

2. Duo quaedam disputationi supponenda. — Nimirum ad quaestionem recte solvendam disputationi supponendus est conceptus clarus et determinatus tum maternitatis divinae tum sanctitatis supernaturalis. Quare, cum uterque conceptus jam alibi a nobis fusius expositus sit, hoc loco breviter eandem explicationem recolere satis erit: 3.

1. *De conceptu maternitatis divinae.* — In praesenti scilicet quaestione maternitas divina spectanda non est praecise vel inadaequate, ut tantum dicit meram connexionem

physicam vel physiologicam B. V. cum Filio Dei, sed considerari debet plene et adaequate, ut dicit dignitatem supernaturalem summam atque intimam personae B. Virginis cum Filio suo Deo-homine unionem necnon insertionem in familiam Dei atque arctissimam cum ipsis personis SS. Trinitatis habitudinem et consortium familiare. Verbo talis maternitatis conceptus huic quaestioni supponendus est, qualis ex thesi altera et tertia sponte progerminavit. Revera enim maternitas illa inadaequate concepta et mere physiologica immerito diceretur B. Virginem sanctificare formaliter atque immediate; atque id sane evincunt argumenta aliqua, quae ab adversariis urgentur. Verum neque maternitatem divinam adaequate et plene conceptam eundem effectum habere, iisdem argumentis non probatur; imo vero haec doctrina ex superiori de B. V. Matris dignitate logice consequitur et rationabiliter negari posse non videtur, quin alia capita doctrinae ab omnibus tamen admissa in discrimen vocentur; quod ex demonstratione instituenda satis constabit.

4. 2. *De conceptu sanctitatis.* — Sicuti maternitatis divinae, ita etiam sanctitatis supernaturalis clarus et deteminatus conceptus praerequiritur, ut remota quavis obscuritate et ambiguitate praesens quaestio rite et perspicue solvatur. Jamvero, quid sit sanctitas, explicatum et demonstratum est satis in tractatu de Verbo incarnato 1. p. th. 24. et paulo fusius in Zeitschrift für kath. Theologie an. 1896 p. 471. ss. Scilicet sanctitas ontologica, quae contradistinquitur a sanctitate morali atque hoc loco in quaestionem venit, nihil aliud est, nisi supernaturalis et physica cum Deo subsistente bonitate unio; qua unione tamquam principio formali subjectum unitum Deo gratum et amabile redditur, naturae divinae particeps atque filius et haeres Dei constituitur, ab eodem subjecto peccatum excluditur necnon operibus ejusdem major aestimabilitas atque valor confertur. Qua notione supposita loco citato explicatum est, qua ratione humana Christi natura formaliter per ipsam unionem hypostaticam etiam seorsim sumptam et praecisam a gratia habituali accidentali substantialiter et essentialiter et quadam ratione infinite sancta sit; atque eadem

notione adhibita, ni fallor totus, satis commode demonstratur atque explicatur, B. Virginem analoga ratione per maternitatem suam adaequate conceptam etiam seorsim a gratia accidentali habituali formaliter et immediate atque proprio sensu sanctificatam esse.

Qua doctrina sane non excluditur, B. Virginem etiam per 5.
gratiam habitualem accidentalem formaliter sanctificatam esse; ambae enim hae gratiae, sc. gratia maternitatis et gratia sanctificans se non excludunt, sed amice consistunt, cum haec ab illa postuletur. Imo vero gratia sanctificans etiam ideo prorsus necessaria erat in B. Virgine, ut tamquam principium supernaturale actus ejusdem redderet entitative supernaturales atque ea ratione ultimo fini, sc. visioni beatificae, proportionatos: per maternitatem enim divinam actus B. Virginis, etsi immense dignificentur, entitative tamen supernaturales non redduntur. Simili ratione in Christo simul cum gratia unionis hypostaticae consistebat gratia sanctificans; imo etiam in ipso necessaria erat tamquam principium, quo actus humanae naturae entitative supernaturales redderentur.

Demonstratio.

1. Probatur ex s. scriptura et SS. Patribus. 6.
— Huc spectat salutatio Angeli mysterium incarnationis B. Virgini annuntiantis: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus:* Χαῖρε, κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ; de cujus salutationis virtute et momento jam superius pluribus dictum est (Thes. 2. n. 12. ss.). Quibus suppositis ex eadem salutatione in praesentem scopum ita probabile saltem argumentum derivari videtur:

Salutatione illa prorsus insolita, eximia, soli Virgini reservata eadem omnino excellens prae aliis creaturis universis exhibetur in ipsis illis rationibus, quae de ea enuntiantur, scilicet in gratia, in unione cum Deo, in divina benedictione. Quare haec gratia et unio et benedictio divina, qua insignita B. Virgo ab Angelo praedicatur, sine ulla dubitatione non erat tantum gratia gratis data, sed necessario habebat ratio-

nem gratiae gratum facientis vel sanctificantis; secus enim in iisdem illis rationibus B. V. perfecta non esset nec adeo excelleret prae omnibus creaturis. — *Et confirmatur* ex ipso contextu, sc. ex verbis: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum,* quae verba nonnisi gratiae gratum facienti ideoque sanctificanti adaptata sunt. — *Ceterum* gratiam, qua B. Virgo ab Angelo excellens praedicatur, rationem habere gratiae gratum facientis, una est vox SS. Patrum necnon scripturae interpretum. — Atqui ea gratia, qua B. Virgo plena, unio cum Deo, qua insignita, benedictio, qua informata praedicatur, primario et immediate est ipsa augusta Dei maternitas. Ergo ipsa maternitas divina rationem habet gratiae gratum facientis vel sanctificantis atque se ipsa reddit B. Virginem Deo gratissimam, amabilissimam et amicissimam prae omnibus creaturis atque omne ab ea peccatum excludit. Cum consequentia non desit atque major sit extra dubitationem posita, restat solum, ut minor probetur. Itaque:

7. *Probatur minor primo ex textu et contextu:* Etenim Angelus, postquam dixit: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum,* hanc gratiam explicaturus pergit: *ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Aperte igitur maternitas divina imprimis et primario tamquam ea gratia exhibetur, qua B. Virgo divinitus exornata est.

Confirmatur argumentum ex SS. Patribus et Doctoribus, utpote qui pariter B. Virginem tamquam plenam gratia sive κεχαριτωμένην vel Deo unitam et benedictam praedicant et celebrant, quatenus in matrem Dei electa est. Ita v. g. *S. Ambrosius* declarans, cur B. Virgo turbata fuerit in Angeli sermone: „Benedictionis novam formulam mirabatur, quae nusquam lecta est, nusquam ante comperta. Soli Mariae haec salutatio servabatur. Bene enim sola *gratia plena* dicitur, quae sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiae repleretur auctore." (Expos. in Luc. l. 2. n. 10.). Similiter *Petrus Chrysologus:* „*Ave gratia plena.* Haec est gratia, quae dedit coelis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitae ordinem, moribus disciplinam Hanc gratiam detulit angelus, accepit Virgo salutem saeculis reddi-

tura. Ave gratia plena. Quia singulis gratia se est largita per partes, Mariae vero simul se totam dedit gratiae plenitudo. *Dominus tecum.* Ergo erat cum Virgine, qui ad Virginem miserat. Praecessit nuntium suum Deus, sed a Deo non recessit; teneri locis non potest, qui omnibus habetur in locis, et totus ubique est, sine quo nihil est totum. *Benedicta tu inter mulieres.* Vere benedicta, quae et superni conceptus meruit gratiam, et sustulit integritatis coronam. Vere benedicta, quae et divini germinis suscepit gloriam, et regina totius exstitit castitatis. Vere benedicta, quae fuit major coelo, fortior terra, orbe latior; nam Deum quem mundus non capit, sola cepit." (serm. 143.). Scilicet declarat Chrysologus, B. Virginem ideo dici gratia plenam, quod plenitudo ipsius gratiae atque Dei Filius se ipsi filium dederit atque cum ipsa se intime copularit.

Consentit *I. Damascenus*: „*Ave gratia plena,* res gaudio omni gratiosior et nomen, ex qua gaudium immortale Christus, inflictae Adamo tristitiae medicina, in mundum venit. Ave paradise, praedium Edem beatius, ubi virtutis planta omnis germinavit, et in quo arbor vitae enituit; cujus commercio ad vitam pristinam redimus, terga dante flammeo gladio, uti scriptum est." (Orat. 2. in Deip. nativit.) — Similiter *Sophronius H.* eandem salutationem angelicam evolvit: „Quid excellentius esse possit hac gratia, quam tu sola divinitus sortita es; aut quid ea jucundius ac splendidius excogitari potest? Omnia distant a miraculo quod in te cernitur, omnia infra gratiam tuam jacent; secundas tenent omnia vel probatissima et claritate plane inferiore potiuntur. *Dominus tecum*; et quisnam tecum contendere ausit? Deus ex te; ecquis e vestigio tibi non cedat, et non magis tibi primatum praecellentiamque gaudens tribuat? Propterea, tuas prae creaturis omnibus eminentes praerogativas intuens, summis tibi plausibus acclamo: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Ex te enim gaudium non modo hominibus impertitum est, sed supernis quoque virtutibus tribuitur. Vere *benedicta tu in mulieribus*, quoniam Evae maledictionem in benedictionem commutasti: quoniam Adam, qui prius jacebat exsecratione

perculsus, ut per te benediceretur, effecisti. Vere *benedicta tu in mulieribus,* quoniam benedictio Patris per te affulsit hominibus, eosque a veteri maledicto liberavit. Vere *benedicta tu in mulieribus,* quia per te progenitores tui salutem inveniunt; tu siquidem genitura es Salvatorem, qui divinam ipsis salutem comparabit. Vere *benedicta tu in mulieribus,* quoniam sine semine eum protulisti fructum, qui benedictionem terrarum orbi elargitur ipsumque a maledictione spinas germinante redimit. Vere *benedicta tu in mulieribus,* quia mulier naturali conditione cum sis, Dei tamen genitrix reipsa fies. Etenim si, qui ex te nasciturus est, secundum veritatem Deus est incarnatus, ipsa jure meritoque diceris Deipara, quippe quae Deum verissime paris.“ (Orat. in Deiparae Annuntiat.). Scilicet etiam Sophronius B. Virginem gratia plenam, cum Deo unitam, benedictam inter mulieres intelligit imprimis per gratiam maternitatis.

11. Deinde in eundem sensum salutationem angelicam explicat *Laurentius Justiniani:* „Magna profecto Mariae gratia exuberans atque completa, quae coelis dedit gloriam, terrisque genuit Deum, gaudium praestitit angelis saeculoque pacem refudit. Fide docuit gentes, vitiis finem imposuit, humanae vitae instituit ordinem atque spiritalem edidit moribus disciplinam. Quomodo non est Maria juxta Gabrielis oraculum *plena gratia,* quae effecta est mater Dei, paradisi scala, coeli janua, interventrix mundi, daemonum fuga, peccatorum spes, Dei et hominum verrissima mediatrix? Ipsius gratiae plenitudinem coelestis nuntius persensit, cognovit, manifestavit et dixit: *Ave gratia plena.* Salutat illam tamquam sibi dominam honoreque dignissimam ac a Deo singulariter electam. Nec aliunde quam a salutatione debuit inchoari, quando per hanc novae salutationis gratiam salvatoris mundi praenuntiabatur adventus.“ (Serm. 10. in Deiparae Annuntiat.) — Concordat etiam *S. Bernardus* commentans verba: *Dominus tecum*: „Sed cum (Deus) sit cum omnibus Sanctis, specialiter tamen cum Maria; cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac de sua Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius

unus Christus fieret; qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei et totus Virginis esset; nec duo filii, sed unus utriusque filius. Ait itaque: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Neç tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis, sed et Dominus Spiritus Sanctus, de quo concipis, et Dominus Pater, qui genuit, quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum facit et tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum, miro modo et sibi reserat genitale secretum, et tibi servat virginale signaculum. Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum." (Homil. 3. super *Missus est* n. 4.). Quibus Bernardus sane significat, B. Virginem formaliter per maternitatem specialiter cum Deo conjunctam esse. — Item consentit *auctor speculi B. V.*, quod S. Bonaventurae tribuebatur, eadem verba: *Dominus tecum* sic evolvens: „Iste singularis Mariae Dominus sic singulariter cum Maria fuit, dum ipsa singulariter Domini filia Domini Mater et Domini sponsa facta est. Maria enim filia Domini singulariter generosa Mater Domini singulariter, gloriosa sponsa Domini singulariter fuit. Unde Dominus iste, qui tam singulariter est cum Maria, ipse est Dominus Pater, cujus Maria est filia nobilissima; ipse est Dominus Filius, cujus Maria est Mater dignissima; ipse est Dominus Spiritus Sanctus, cujus Maria est sponsa justissima . . . Dominus ergo tecum; Dominus certe, cujus filia es, qua nulla nobilior; Dominus, cujus Mater es, qua nulla mirabilior; Dominius cujus sponsa es, qua nulla amabilior. Eja ergo Domina, quia Dominus tantus ac talis taliter est tecum, fac ut etiam ipse per gratiam sit nobiscum." (c. 8.) Scilicet etiam ex mente hujus doctoris, B. Virgo per maternitatem imprimis divinam formaliter habet, quod Deus speciali prorsus modo cum ipsa sit. — Denique *Dionysius Carthusianus* perspicue docet, gratiae plenitudinem in ipsa maternitate divina formaliter et essentialiter contineri: „Haec nempe gratiae plenitudo consistit in eo, quod veri omnipotentisque Dei vera mater facta est, quae, ut opinor, comprehendi nequit" (De dignitate Mariae art. 18.). Atque haec Patrum et Doctorum testimonia sufficiunt, utpote quibus

satis constat, ex multorum Patrum et Doctorum sententia, B. Virginem imprimis per ipsam maternitatem divinam formaliter et speciali modo gratia plenam sive κεχαριτωμένην, cum Deo unitam et benedictam prae omnibus constitutam esse. Unde minor argumenti facti necnon totum argumentum etiam ex auctoritate satis confirmatur.

12. ***2. Ex summa dignitate maternitatis divinae.*** — Dignitas maternitatis divinae multo est sublimior et praestantior, ac dignitas gratiae sanctificantis accidentalis; etenim dignitas matris Dei excedit omnem dignitatem personae creatae et proxime accedit ad dignitatem humanitatis Christi necnon ipsius Dei ac vera quadam ratione infinita est; eadem B. Virginem in altiore ordine constituit ac gratia sanctificans subjectum suum, scilicet in ordine divino-humano sive hypostatico; quare etiam maternitas divina gratiam sanctificantem in radice atque eminenter continere merito dicitur. Quae praecellentia maternitatis divinae prae gratia sanctificante supra pluribus demonstrata est. (Thes. 2. n. 31. ss.). Atqui fieri nequit, ut in ordine supernaturali, qui totus quantus ad homines sanctificandos spectat, dignitas quaedam exstet, quae gratiam sanctificantem sublimitate et praestantia multum excedat eamque in radice ac eminenter contineat neque tamen effectum formalem ejusdem i. e. sanctitatem formaliter conferat. Ergo maternitas divina aeque vel potius multo magis B. Virginem formaliter sanctificare dicenda est ac gratia sanctificans accidentalis.

13. *Minor explicatur et probatur* ex ipso conceptu gratiae gratum facientis vel sanctificantis. Etenim ad rationem gratiae gratum facientis spectat, ut reddat subjectum suum Deo amicum, gratum et amabile atque ab eo peccatum (sc. grave saltem) expellat; atqui maternitas divina, cum in se sit multo sublimior, dignior, praestantior, quam gratia sanctificans, profecto etiam apud Deum, justum rerum aestimatorem, subjectum suum reddit multo magis amicum, gratum, amabile necnon potiore jure etiam peccatum ab eo expellit, et quidem non tantum grave sed etiam leve, ut inferius luculentius explicabitur. Ergo maternitas divina reipsa effectus

formales gratiae gratum facientis confert ideoque formaliter sanctificat.

Minor illustratur et confirmatur secundo ex unione hy- **14.**
postatica. Etenim etiam unio vel assumptio hypstatica humanae Christi naturae ideo hanc formaliter sanctificat; utpote quia dignitatem humanae naturae dicit excedentem omnem dignitatem creatam et vera ratione infinitam, necnon eandem naturam in ordine divino constituit, atque tandem omnem gratiam gratum facientem accidentalem etiam perfectissimam in radice atque eminenter continet. Cum igitur maternitas divina, et dictum est, proportionata et analoga ratione se habeat vel idem praestet in B. Virgine-Matre, merito infertur, etiam maternitatem divinam subiectum suum Deo gratissimum reddere ideoque formaliter sanctificare.

3. Ex unione cum Deo, quam maternitas **15.**
divina infert. — Cum sanctitas, ut supra dictum est, nihil aliud sit, nisi supernaturalis cum Deo bonitate subsistente unio, eo magis aliqua dignitas subjectum suum formaliter sanctificat, quo arctius idem cum Deum subsistente bonitate unit. Quare humana Christi natura per unionem hypostaticam formaliter redditur sancta essentialiter, substantialiter, infinite. Atqui post unionem hypostaticam maternitas divina dicit arctissimam unionem cum Deo subsistente bonitate, ita ut arctior unio personae creatae cum divinitate cogitari nequeat; nominatim haec unio cum Deo per maternitatem multo arctior est, quam ea, quae per gratiam habitualem accidentalem constituitur. Ergo B. Virgo per maternitatem divinam formaliter sanctificatur.

Minor probatur, vel potius ejus probatio, cum in supe- **16.**
riore tractatione jam exhibita sit, summatim recolitur: Nimirum B. Virgo per maternitatem suam cum Verbo incarnato secundum naturam humanam consanguinitatem in primo gradu habet atque cum ipsa divinitate affinitatem; operatione sua, i. e. conceptione, generatione etc. fines Deitatis attingit; atque ad ipsum ordinem hypostaticum pertinet (cf. Th. 2. n. 23 ss.). Quin etiam cum singulis personis divinis arctissimis relationibus ligatur atque unitur. Scilicet

primo Dei Filii imprimis mater est praestantissima ratione, quod non tantum unionem carnis, sed etiam animi et totius personae infert; praeterea ad puerum Jesum relationem Dominae vel maternam auctoritatem habuit; item relate ad Filium Dei incarnatum relationem sponsae et quidem non uno tantum ex capite habet. *Secundo Deo Patri* imprimis in generatione ejusdem Filii associata est; deinde speciali prorsus et eminenti ratione ejusdem Dei Patris filia est. *Tertio cum Spiritu Sancto* imprimis connectitur tamquam mater Spiratoris; praeterea etiam ejusdem Spiritus Sancti sponsa dici solet; denique non immerito templum, sanctuarium, habitaculum Spiritus Sancti praedicatur vel aequivalentibus nominibus decoratur. (cf. Th. 3.). Quibus omnibus arctissima sane B. Virginis unio cum divinis personis per maternitatem constituta continetur, unio, inquam, quae immense excedit eam per gratiam sanctificantem accidentalem constitutam et non exceditur nisi a sola unione personali naturae humanae Christi cum Verbo divino. Ergo.

17. ***4. Ex quibusdam divinae maternitatis habitudinibus.*** — Maternitas divina tres praeter alias involvit habitudines speciales, ex quibus in praesenti quaestione argumentum saltem probabile derivari posse videtur. Prima est habitudo principii sanctificationis relate ad alios homines; altera est relatio dominae relate ad omnes creaturas etiam angelos; tertia denique est habitudo maternae auctoritatis relate ad puerum Jesum. Itaque arguitur:

1. *Ex habitudine principii sanctificationis relate ad alios homines.* — Nimirum B. Virgo, ut jam superius notatum est et inferius accuratius exponetur, tamquam mater Dei—hominis Redemptoris ad ipsam redemptionem cooperata est ideoque ut dispensatrix gratiarum, quibus homines sanctificantur, merito consideratur et celebratur. Atqui „propter quod unumquodque tale et illud magis“, sive in causa perfectio effectus praecontineatur oportet. Ergo, cum B. Virgo tamquam mater Dei in hominum sanctificationem efficaciter influat, necessario consequi videtur, et ipsam sanctitate informatam esse, et quidem etiam vi ipsius maternitatis divinae

vel formaliter per ipsam sanctificatam esse. — Qua in re maternitatas divina iterum imitatur analoga ratione unionem hypostaticam; per hanc enim unionem humana Christi natura habet, quod exstare possit principium redemptionis et sanctificationis pro aliis hominibus, per eandem etiam ex hac ipsa ratione formaliter sanctificari intelligitur.

2. *Ex habitudine dominii et auctoritatis in omnes creaturas rationales.* — Videlicet B. Virgo, ut supra ostensum est, vi maternitatis divinae, dominio et auctoritate valet in omnes creaturas rationales, etiam sanctos homines atque spiritus angelicos in termino positos; quare iidem Virgini-Matri subjecti sunt et manent, etiamsi haec ipsa per absurdum gratia habituali accidentali destituta esse poneretur, cum scilicet subjectio haec in ipsa maternitate divina fundetur. Atqui repugnare videtur, quominus sancti in termino positi subjecti sint creaturae, a qua sanctitas exularet. Ergo B. Virgo per ipsam maternitatis divinae dignitatem formaliter sanctificatur. — *Confirmatur argumentum* consideratione aliqua, quam cum *Ripalda* addit *Vega:* „Cum in contraria sententia nihil repugnet componere maternitatem Dei cum peccato, tunc B. Virgo adhuc retineret dignitatem maternitatis Dei, adeoque imperium super Beatos ac daemones, qui omnes tenerentur obedire ipsi, ac daemones illi tamquam imperatrici subjicerentur, quorum tamen ditioni ipsa mater Dei esset subjecta tamquam vile mancipium, quae secum pugnantiam involvunt.“ (Theol. Mariana n. 1607.) 18.

3. *Ex habitudine auctoritatis maternae in Deum-hominem puerum Jesum.* — Etenim, ut supra (Th. 3. n. 12 ss.) ostensum est, B. Virgo vi solius maternitatis et remota omni gratia alia sanctificante in Filium Dei ex se incarnatum, puerum Jesum, maternam auctoritatem habuit et filialem observationem jure naturali sibi flagitare potuit; atqui incredibile est, ipsum Deum-hominum infinite sanctum obsequia filialia, observantiam atque obedientiam debere personae nulla sanctitate affectae; ergo B. Virgo per solam maternitatem divinam formaliter sanctificari credenda est. — *Confirmatur* quia maternitas divina ex hac Filii ad ipsam relatione omne 19.

peccatum necessario excludere intelligitur, quod proprium est formae sanctificanti. Etenim si ponatur, Dei matrem peccare posse atque sanctitate destitui, Filius Dei eam simul propter maternitatem revereri et propter peccatum abominari deberet; quod absurdum apparet. Ergo. — Apposite iterum *Vega:* „Quis igitur credat, personam infinite sanctam, nempe Filium Dei, jure naturae debere obsequia, observantiam et obedientiam praestare personae nulla sanctitate affectae, qualem filius teneretur praestare matri suae, etiamsi gratia habituali destitueretur? Et quod majorem pugnantiam involvit, si mater Dei gratia habituali nudata esset, ac cum peccato composita, quod in contraria sententia nec physice nec moraliter ullam implicantiam includit; tunc duo moraliter contradictoria coirent in unum, quia Filius Dei matrem ratione peccati tamquam inimicam aversaretur, ac cultum et obsequium ipsi merito denegaret; ratione vero filiationis jure naturali ei teneretur benevolentiae et honoris signa praebere, quae omnes filii parentibus exhibere tenentur, ipsius ductu naturae; ne igitur in haec absurda deveniamus, asserendum est, maternitatem Dei esse formam sanctificantem nec componi posse cum peccato.“ (L. c. n. 1608.).

20 ***5. Ex cultu hyperduliae B. Virgini debito.*** — Videlicet sanctitas est non solum fundamentum propter quod, sed etiam mensura secundam quam cultum religiosum personis sanctis exhibemus; quare summum cultum religiosum, latriam, soli Deo sanctitati subsistenti impendimus, sanctis autem angelis et hominibus generatim nonnisi inferiorem cultum, duliam, debemus, utpote qui sanctitatem subsistentem nonnisi imperfecte et accidentaliter adumbrant. Atqui B. Virgini propter maternitatem divinam cultus hyperduliae exhibetur, qui a cultu duliae specifice diversus eodemque essentialiter superior est. Ergo B. Virgo per ipsam maternitatem divinam formaliter sanctificatur et quidem altiore ratione quam per gratiam sanctificantem communem.

21 *Major argumenti* extra dubitationem posita esse videtur, cum cultu religioso nonnisi eos defunctos insignire soleamus et possimus, quorum sanctitas ab ecclesia processu juridico

instituto et feliciter peracto sollemniter declarata est. — *Minor* autem pariter dubio carere videtur, utpote quae communiter a theologis asseritur. Ita v. g. S. Thomas necnon S. Bonaventura, quorum testimonia jam supra (th. 2. n. 42.) allata sunt. Similiter alii theologi, ut v. g. Suarez, qui merito inculcat, cultum hyperduliae B. Virgini etiam tunc impendendum fore, si per absurdum ab omni gratia habituali communi separata conciperetur. Audiatur ipse *Suarez,* objectionem aliquam referens et solvens: „Objici potest, quia haec dignitas . . . praecise sumpta (sc. maternitas divina) non est sufficiens ratio absolutae adorationis. Nam si a gratia sanctificante separetur, non constituit personam per se adorabilem; ergo hic titulus separatus a secundo (sc. gratia sanctificante communi) non est sufficiens ratio adorationis . . Respondeo *primo*, fieri non posse secundum potentiam ordinariam et juxta legem quasi connaturalem dignitati matris, quin dignitas gratiae conjuncta sit et veluti consequatur dignitatem matris . . .; et hoc satis est ut haec matris dignitas per se et vi sua intelligatur esse sufficiens ratio adorationis. *Secundo* admisso illo casu dupliciter posset fingi: *primo* ut ea persona, quamvis esset sine gratia, non tamen esset in peccato mortali sed veluti in puris naturalibus adjuncta solum dignitate matris Dei absque ulla alia gratia vel beatitudine supernaturali vel ordinatione vel acceptatione ad illam; et in eo casu dico eam personam fore adorabilem propter dignitatem matris, quia est sufficiens ratio et non esset impedita. *Secundo* potest fingi talis persona in statu peccati et inimicitiae divinae, et in eo statu non posset adorari cultu saltem religioso, quia peccatum existens redderet illam indignam tali adoratione et impediret rationem aliam propter personae indignitatem." (Disp. 22. sect. 2.).

6. *Ex effectibus formalibus gratiae sanctificantis.* — Nimirum gratia maternitatis divinae sine dubio B. Virginem formaliter sanctificare dicenda est, si omnes effectus formales vel proprietates gratiae sanctificantis communis vel formaliter vel eminenter vel aequivalenter inducit; atqui ita est: scilicet quemadmodum gratia sanctificans com- 22

munis subjectum suum, ita atque etiam magis maternitas divina B. Virginem participem reddit naturae divinae, filiam Dei constituit atque haeredem bonorum divinorum et vitae aeternae, arctissimo amicitiae vinculo cum Deo nectit eique gratissimam reddit, ex eadem peccatum expellit, ac tandem actionibus ejusdem maximam aestimabilitatem et summum valorem conciliat; ergo maternitas divina B. Virginem formaliter sanctificare merito dicitur. — *Minor argumenti* jam inde satis constare videtur, quod maternitas divina dignitate multum praestat prae gratia sanctificante et ipsa visione beatifica necnon easdem in radice et eminenter continet; eo ipso enim etiam proprietates vel effectus formales gratiae sanctificantis contineat vel conferat necesse est. Verum etiam singulae partes ejusdem minoris facile singillatim probantur; itaque:

23. *1. Maternitas divina B. Virginem aequivalenter saltem participem reddit naturae divinae.* — Videlicet gratia sanctificans communis secundum veriorem explicationem eatenus infert participationem naturae divinae, quatenus principium est vel radix vitae supernaturalis vel deiformis, cujus inchoatio et explicatio actibus virtutum theologicarum, consummatio autem in visione et amore Dei ex ea resultante continetur. Cum enim hi actus, scilicet visio et amor beatificus, solum Deum pro objecto materiali et formali immediato habeant, soli Deo connaturales sunt vel ex natura rei sola essentia divina eorum principium vel radix esse concipitur. Quare creatura, ut ad hos actus, quos naturalibus viribus elicere nequit, capax fiat, supernaturaliter elevatur per gratiam sanctificantem, quae est altera quasi natura, et per habitus virtutum theologicarum et lumen gloriae, quae ad instar novarum potentiarum sunt. Quae cum ita sint, commode intelligitur, in gratia sanctificante participationem quandam specialem naturae divinae contineri, sicuti supernaturales illi creaturae actus participationem dicunt vitae divinae. Considerandum autem est, nexum inter gratiam et habitus non esse physicae efficientiae, sed connaturalis exigentiae potius, quatenus gratia non producit efficienter habitus supernaturales, sed eos potius ut connaturale complementum exigit tamquam

principia operationis homini per gratiam Filio Dei adoptivo constituto convenientis. — *Itaque* gratia sanctificans communis participationem divinae naturae dicit, quatenus est fundamentum vel radix moralis habituum et actuum supernaturalium, imprimis virtutum theologicarum necnon ipsius vitae beatae in aeternitate, vel quatenus haec omnia tamquam connaturale complementum exigit. Atqui maternitas divina aeque vel potius multo magis ac gratia sanctificans communis fundamentum est vel radix moralis habituum et actuum supernaturalium inclusa ipsa visione beata, vel haec omnia a fortiori postulat tamquam connaturale complementum. Ergo maternitas etiam magis ac gratia sanctificans communis secum fert naturae divinae participationem.

Minor ex ipsa rei natura manifesta esse videtur. Etenim gratia sanctificans alia illa dona supernaturalia exigit 24.
tamquam connaturale complementum, quia filiationem Dei adoptivam dicit vel formaliter confert; ergo maternitas divina naturalis, utpote quae in se multo praestantior et dignior est necnon filiationem eminentiorem erga Deum Patrem infert, multo magis et efficacius eadem illa dona supernaturalia tamquam necessarium et connaturale complementum sibi vindicat. *Confirmatur ex analogia cum unione hypostatica;* haec enim cum intime cum Verbo divino copulet naturam humanam, eidem radix est vel fundamentum omnium aliorum donorum supernaturalium, habituum et actuum, quamvis physice in eosdem non influat; analoga igitur ratione etiam maternitas divina, utpote quae post unionem hypostaticam intima est cum Deo copulatio et ad ordinem vel oeconomiam unionis hypostaticae spectat, B. Virgini est titulus exigitivus virtutum et actuum supernaturalium inclusa etiam visione beatifica, etsi haec demum in altera vita conferenda sit. Apposite *Dionysius Carthusianus:* „Nempe sicut Christi humanitatem propter ejus personalem cum Deo unionem decuit omni perfectione naturae et gratiae in termino excellentiae praefulgere; ita ipsius Genitricis personam post Unigeniti sui humanitatem oportebat in omnibus sic ornari, quoniam post hypostaticam cum Deo unionem non est alia tam vicina, ut unio matris Dei cum Filio suo.“ (De laudibus B. V. l. 1. a. 34.).

Verum altero adhuc modo et quidem prorsus speciali maternitas divina ut participatio divinae naturae considerari potest, prout haec scilicet subsistit in Deo Patre. Nimirum generatio temporalis Filii Dei ex B. Virgine imago est generationis aeternae ejusdem Filii ex Deo Patre. Sicut igitur Paternitas Dei Patris in generatione aeterna fundatur sive in natura divina radicante generationem, ita maternitas divina B. Virginis fundatur in generatione temporali ejusdem Filii divini sive in natura B. Virginis ad hanc generationem supernaturaliter elevata. Quare maternitas divina B. Virginis similitudinem quandam formalem etsi analogicam habet cum Paternitate divina Dei Patris vel participationem quandam dicit naturae divinae, prout haec in Patre est; quae participatio prorsus singularis est neque ullo modo in gratia sanctificante communi invenitur.

26 *2. Maternitas divina B. Virginem eminenti ratione Filiam Dei constituit atque haeredem bonorum divinorum atque vitae aeternae.* — Haec propositio materialiter fere cum priore coincidit, formaliter vero rem sub alia consideratione exhibet. Itaque quod maternitas divina B. Virginem eminentiori ratione Filiam Dei imprimis Patris constituat, jam superius declaratum est (Th. 3. n. 26. ss.); quod autem per eandem maternitatem haeres bonorum divinorum et vitae aeternae constituatur, ex hac ipsa singulari, unica, eminenti filiatione aliisque rationibus manifesto consequitur. Si enim Filius Dei adoptivus jure suo haeres est bonorum et vitae aeternae, a fortiori et jure multo strictiore haec haereditas competit filiae unicae, eminenti et praedilectae inter omnes, maxime quia haec filia unica simul Dei Filii naturalis mater atque sponsa necnon cum eodem Rege et Domino et Patre regina et domina et mater totius universi atque ipsius coeli est. Quae praerogativae omnes totidem tituli juris esse ad aeternam haereditatem manifesto intelliguntur; quod igitur probatione ulteriore non indiget. Ergo.

27. *3. Maternitas divina B. Virginem arctissimo amoris et amicitiae vinculo cum Deo nectit eique gratissimam reddit.* — Etenim ex unanimi theologorum sententia gratia sanctifi-

cans communis amicitiae vinculo hominem cum Dei nectit atque mutuum inter Deum et hominem amorem inducit; ratio autem hujus rei est, quod gratia sanctificans hominem cum Deo ita unit, ut filium adoptivum constituat; nam unio filiationis generatim connaturaliter benevolentiam et amorem fundat inter patrem et filium et amicitiae vinculo eosdem nectit adeoque filium Patri gratum reddit. Jamvero per maternitatem divinam B. Virgo, ut jam pluries notatum et ponderatum est, constituitur Filia Dei imprimis Patris sensu eminentiore, Filia singularis, unica, prae omnibus praecellens; per eandem maternitatem est mater Dei naturalis sensu proprio omnino et modo perfectiore, quam quaevis mulier alia sui filii mater est, cum totam Filio Dei substantiam humanam dederit; item per eandem sponsa est Dei Filii necnon aliis nexibus cum ipso et Patre et Spiritu Sancto colligatur. Itaque arctissime per maternitatem divinam B. Virgo cum divinitate copulatur et familiae divinae inseritur unione multo arctiore omni ea, quae fieri potest per gratiam sanctificantem communem; unione denique, quae nonnisi per unionem hypostaticam superatur. Ergo maternitas divina B. Virginem arctissimo amoris et amicitiae vinculo cum Deo nectit atque gratissimam eandem Deo reddit; et quidem multo perfectius haec praestat ac gratia sanctificans communis necnon proxime etiam hac in re ad unionem hypostaticam accedit.

4. *Maternitas divina e B. Virgine non solum quodvis* 28.
peccatum, sed etiam peccati fomitem expellit. — Cum impeccantia B. Virginis-Matris inferius ex professo et luculentius tractanda sit, hoc loco solummodo ostendendum est, internam esse inter maternitatem divinam et peccatum oppositionem, ita ut maternitas quodvis peccatum formaliter excludat.

Itaque primo id patet ex natura rei, vel ex comparatione cum gratia sanctificante communi et visione beatifica. Etenim gratia sanctificans communis ideo formaliter peccato opponitur ipsumque excludit, quia subjectum suum particeps reddit naturae divinae, filium Dei adoptivum constituit, Deo gratum reddit atque amicum constituit; verbo igitur, quia

creaturam rationalem cum Deo subsistenti bonitate unit, cum peccatum oppositum praestet, i. e. a Deo summa bonitate avertat. Jamvero maternitas divina ex ipsa interna sua ratione multo arctius cum Deo summa bonitate B. Virginem unit, ut jam pluries explicatum et inculcatum est. Ergo maternitas divina multo magis, quam gratia sanctificans, peccato opponitur ipsumque expellit. Quare non solum peccatum grave, sed etiam leve, imo etiam fomes peccati a B. Virgine propter maternitatem divinam penitus excluduntur.

29. *Secundo etiam ex communi SS. Patrum, theologorum necnon ipsius magisteri authentici consensu* de hac essentiali inter peccatum atque maternitatem divinam oppositione certo constat. Ex SS. Patribus testis sit *S. Augustinus:* „Excepta itaque S. Virgina Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccato agitur, haberi volo quaestionem: inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum“ (De natura et gratia c. 36. n. 42.) — Ex theologis v. g. *S. Anselmus* B. Virgini propter maternitatem omnimodam puritatem a quovis peccato vindicat: „Decens enim erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cu Deus Pater unicum Filium suum . . . ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius.“ (De concept. Virg. et pecc. origin. c. 18.). Item *S. Thomas* eandem inter maternitatem divinam et peccatum oppositionem urget et egregie declarat: „Dicendum, quod illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei secundum illud 2. Cor. 3, 6.: *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset mater Dei. Et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod angelus ad eam dicit Luc. 1, 30.: *Invenisti gratiam apud Deum; ecce concipies etc.* Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando: tum quia honor parentum redundat in prolem secundum illud Proverb. 17, 6.: *Gloria*

filiorum patres eorum; unde et per oppositum ignominia matris ad filium redundaret; tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem 2. Cor. 6, 15: *Quae conventio Christi ad Belial?* tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit, non solum in anima, sed etiam in utero; dicitur autem Sap. 1, 4: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideo simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale nec veniale, ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cantic. 4. 7.; *Tota pulchra es . . .*" (S. th. 3. p. q. 27. a. 4.). — Denique etiam *Pius IX* in bulla *Ineffabilis* omnimodam impeccabilitatem B. Virgini asserit in maternitate divina fundatam: „Quapropter (sc. propter aeternam B. Virginis in matrem Dei electionem) illam longe ante omnes Angelicos Spiritus cunctosque Sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater . . ." — Itaque ex auctoritate quoque constat, maternitatem divinam et peccabilitatem sibi ita opponi, ut haec ab illa penitus excludatur.

5. *Per maternitatem divinam operationes B. Virginis* **30.**
insigni modo dignificantur vel eccellentem valorem meritorium habent. — Etiam sub hoc respectu gratia maternitatis divinae multum excedit gratiam sanctificantem communem. Nimirum aestimabilitas vel valor meritorius operationis non solum ab ipsa praestantia operationis in se spectatae pendet, sed imprimis et maxime per dignitatem personae operantis constituitur et mensuratur; quare gratia sanctificans ideo praecise opera personae ab ea informatae dignificat et meritoria red-

dit supernaturaliter, quia eandem personam in ordinem supernaturalem elevat et dignitatem supernaturalem filii Dei adoptivi confert. Atqui maternitas divina multo altius evehit B. Virginem ad ipsum ordinem hypostaticum eique dignitatem multo majorem confert, quam gratia sanctificans personae ab ipsa informatae. Ergo maternitas divina operationes B. Virginis insigni modo dignificavit et excellentissimum valorem meritorium eisdem tribuit. In qua re maternitas divina iterum analogiam habet cum unione hypostatica, utpote per quam etiam opera humanae Christi naturae infinite dignificata sunt atque valorem infinitum meritorium et satisfactorium habuerunt. (cf. Tractatum de Verbo incarnato p. 2. th. 34. n. 14. ss.).

Jam ex tota hac maternitatis divinae cum gratia sanctificante communi collatione manifestum prorsus est, nullum esse hujus effectum formalem, quem non illa pariter et quidem perfectiori modo conferat; omnes autem illi effectus formales formae sanctificantis proprii sunt; ergo sicut gratia sanctificans communis, ita etiam gratia maternitatis formaliter sanctificare dicenda est.

31. ***7. Confirmatur tota argumentatio ex quarundam objectionum solutione.*** — Plures objectiones per ipsam rei expositionem et demonstrationem praeoccupatae sunt; sed restant quaedam, quarum solutione veritas demonstrata adhuc magis illustratur et confirmatur.

1. *Doctrina proposita excludi videtur per ipsum Concilium Tridentinum, utpote quod de causis justificationis agens de causa ejusdem formali ita declarat: „unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam“ (Sess. 6. cap. 7); quae declaratio insuper munitur et vindicatur per duos canones: „Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, a. s.“ (can. 10.). „Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi vel sola peccatorum remissione,*

exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei a. s." *(Can. 11.). Nimirum ex his causa formalis justificationis atque ideo sanctificationis intrinsecus animae inhaeret neque homo, ut haeretici contenderunt, per justitiam Dei homini externam eique tantum imputatam justificatur. Maternitas autem divina non est forma intrinsecus animae B. Virginis inhaerens, sed relationem potius dicit ad Dei Filium incarnatum adeoque inadaequate saltem B. Virgini externa est. Ergo maternitas divina formaliter non sanctificat atque assertio adversa propugnata ad errorem haereticorum nimis accedere videtur.* — R. Concilio Tridentino propositum est, declarare justitiam vel sanctitatem, quae omnibus justis est communis: atque de hac duo statuit contra haereticos: primo eandem non absolvi justitia Christi solum nobis imputata vel favore Dei externo, ita ut justi tantum reputemur non autem reipsa intrinsecus simus; verum secundo eandem justitiam contineri in forma aliqua physice animae inhaerenti, qua justi vere nominamur et sumus. Jamvero haec cum doctrina statuta minime pugnant. Etenim:

Primo communis illa justitia vel sanctitas, quae etiam **33.**
in B. Virgine et quidem in gradu valde perfecto invenitur, non excludit ab eadem specialem sanctificationem per gratiam maternitatis formaliter constitutam; secus consequeretur, neque humanam Christi naturam formaliter sanctificari per unionem hypostaticam, sed per gratiam communem tantum etsi perfectissimo gradu vel maxima plenitudine collatam; hoc autem profecto jam nemo dicet; ergo neque illud ex mente concilii dicendum est nec dici potest. Ceterum ex natura rei idem intelligitur. Nimirum ex gravium theologorum probanda sententia gratia communis formaliter sanctificat non solum, quatenus physice informando animam reddit deiformem vel eandem naturae divinae supernaturaliter assimilat, sed etiam et praecipue, quatenus vinculum est, quo anima cum Deo intime unitur atque ipse Spiritus Sanctus in anima speciali modo praesens vel inhabitans redditur. Duobus igitur elementis

sanctitas illa communis constituitur, gratia creata et gratia increata; et illa quidem sanctitatem producit inhaerendo, haec autem terminando vel assistendo ideoque ipse Spiritus Sanctus inhabitans tamquam nobilissimum elementum vel fastigium sanctificationis apparet. Quare etiam, cum gratia creata inhaerens sit forma interna, ipse Spiritus Sanctus forma externa vel assistens sanctificationis merito vocari potest. (cf. Lessius, de perfectionibus divinis c. 11. cum appendice; Franzelin. De Deo uno th. 29; Pesch, t. 2. prop. 90. schol. 1. et 2.). Quae cum ita sint, manifesto consequitur, etiam gratiam maternitatis divinae formaliter sanctificare, dummodo et ipsa ex duobus illis elementis gratiae communis saltem alterum et praecipuum contineat formaliter, primum vero aequivalenti quadam ratione, vel dummodo et ipsa illum utrumque effectum formalem conferat. Atqui ita est; nam maternitas B. Virginem tum assimilat non eadem quidem sed non minus egregia ratione cum Deo ac gratia communis tum eandem intima ratione ac multo arctiore ac gratia communis cum tribus personis conjungit easque in eadem B. Virgine speciali ratione inhabitantes reddit. Quae omnia supra jam probata sunt (cf. Thes. 3.). Ergo.

33. *Secundo* ex omnibus, quae dicta sunt, item intelligitur doctrinam propositam nihil prorsus habere commune cum sententia haereticorum a Concilio Tridentino damnata ita, ut potius longissime ab ea distet. Nam sanctitas per maternitatem formaliter effecta nequaquam tantum est justitia Christi B. Virgini imputata vel favor externus, quo justa tantum reputetur non autem reipsa sit; verum personaliter prorsus propria est B. Virgini ita, ut in nulla creatura quidquam simile inveniatur, atque remota vel seposita omni imputatione vel reputatione eandem Virginem exornat atque supra omnes angelorum choros attollit atque venerabilem reddit.

34. *Tertio* denique ex eo, quod maternitas divina relatione constituitur, nequaquam sequitur, eandem B. Virgini externam esse; quare neque sanctitas, quae per eam formaliter efficitur, externa dici potest. Nam maternitas divina dicit quidem relationem B. Virginis ad Deum Filium, quae in vera et

reali ejusdem generatione fundatur; verumtamen non haec relatio, sed terminus ejusdem B. Virgini extraneus est; ipsa autem maternitatis relatio, sicut quaelibet alia relatio realis in subjecto suo, in B. Virgine residere concipitur atque independenter a nostra conceptione reipsa residet. Relatio enim realis terminum realem postulat et respicit, sed eo non constituitur; quare subjecto etiam adaequate interna est. Ergo etiam maternitas divina B. Virgini adaequate interna est. Ceterum etsi secundum aliquam de relationibus sententiam physice considerata esset inadaequate externa, moraliter tamen ut adaequate interna consideranda est. Apposite Vega: „Licet maternitas Dei constituatur et consurgat ex dignitate Filii, quae physice extrinseca est matri, aestimatione tamen morali intrinseca est ipsi; nam omnium aestimatione censetur Deipara per maternitatem Dei in eam extolli dignitatem et eminentiam, ut ei intrinsecam amabilitatem et bonitatem importet, digniorem etiam aestimationem apud omnes conferat, quae unio moraliter intrinseca sufficere potest ad conferendam sanctitatem animae, cui inest.“ (L. c. n. 1630).

2. *Rationes in probatione thesis adductae id unum* 35.
ostendere videntur, maternitatem divinam sanctificare formaliter mediate vel exigitive, non autem formaliter immediate vel actu; quod illustrari potest per illum effectum formalem formae sanctificantis, qui est impeccabilitas: scilicet maternitas divina exigit quidem impeccabilitatem B. Virginis, sed haec impeccabilitas proxime et physice efficitur per ablationem fomitis et auxilia gratiae actualia. Ergo doctrina proposita saltem non prabatur. — R. Illud formaliter immediate et actu Deiparam sanctificat, quo solo posito et remotis etiam omnibus aliis peccatum exclusum et omnes effectus formales formae sanctificantis adesse intelliguntur. Atqui sola posita maternitate peccatum exclusum et omnes alii effectus formales formae sanctificantis in B. Virgine adesse intelliguntur, ut supra probatum est. Ergo maternitas divina B. Virginem formaliter immediate et actu sanctificare dicenda est. Exemplum autem impeccabilitatis in confirmationem vel illustrationem objectionis adductum rem quidem

illustrat, sed in confirmationem non objectionis, sed potius doctrinae in thesi propugnatae vergit. Maternitas enim divina non tantum exigit impeccabilitatem, ut v. g. character baptismi vel ordinis, sed incompossibilis est cum peccato aeque vel potius multo magis quam gratia sanctificans communis. Atque hoc sufficit ad formalem sanctificationem. Nam forma sanctificans ex propria sua ratione id non habet, ut physice peccatum in subjecto impossibile reddat; id enim neque gratia sanctificans communis praestat; imo neque unio hypostatica in humana Christi natura id efficit, cum metaphysica impeccantia humanae Christi naturae potius demum per visionem beatificam physice actuetur.

36. *Neque instari potest,* sanctitatem et gratiam, quae per maternitatem formaliter confertur, esse solum gratiam vel sanctitatem latiori sensu, qualis convenit omnibus gratiis, ut dignitati apostolatus aliisque gratiis gratis datis, non autem esse gratiam, qua subjectum essentialiter sanctum et justum et Deo gratum reddatur. — Respondetur enim, hanc instantiam per totam demonstrationem jam esse praeoccupatam, utpote qua ostensum est, per maternitatem non solum impeccabilitatem, sed etiam alios omnes effectus gratiae sanctificantis B. Virgini collatos esse. Ergo maternitas necessario habet rationem verae gratiae sanctificantis vel gratum facientis.

37. *3. „Neque tamen ideo (i. e. propter summam maternitatis divinae dignitatem) . . . dicendum est, B. Virginem maternitate sua esse formaliter sanctificatam. Neque enim eadem ratio est quae in Christo, in quo humana natura propter unitatem hypostasis divinae non potest esse aliena a sanctitate Verbi. Sed B. Virgo est hypostasis distincta a Filio suo, unde hujus sanctitate non potest ipsa formaliter sanctificari sed maternitas ejus divina est titulus, ob quem sanctificari debuit, unde dici potest esse radicalis ejus sanctificatio. Itaque maternitas B. Virginis, si consideratur, ut includit hanc exigentiam gratiae, quodammodo infinite excedit communem gratiam adoptionis; immo majus bonum est divina maternitas quam visio beatifica, quae alii homini con-*

ceditur, quia virtualiter includit excellentiorem gradum visionis beatificae, quam ulli alii purae creaturae convenit. Nihilominus dignitas matris, si separata cogitatur a gratia filiationis adoptivae, hac sine dubio minor gratia est, quia habere rectam habitudinem ad Deum finem ultimum plus est quam physice concurrere ad temporalem nativitatem Dei." Ita Pesch t. 4. prop. 47. coroll. — R. hanc expositionem ad objectionis instar ideo imprimis referre placuit, quia per eandem diversitas inter unionem hypostaticam ex una parte atque unionem maternitatis cum Filio Dei ex altera parte, ex quarum unionum analogia supra rationes quaedam confirmantes derivatae sunt, contra nostram doctrinam vel etiam argumentationem affertur et urgetur; sed et alia quaedam circa eandem expositionem notanda sunt. Itaque:

Primo, quod attinet comparationem maternitatis divinae 38.
cum unione hypostatica, maximam differentiam intercedere inter hanc et illam, manifestum sane est. Sed ex hac differentia nequaquam sequitur, unionem hypostaticam sanctificare formaliter, non autem formaliter sanctificare maternitatem divinam; sed sequitur tantum, maternitatem divinam, cum unionem inferat cum Deo perfectissimam quidem, minus tamen perfectam unione hypostatica, sanctificare quidem perfectissime neque tamen tam perfecte, ac sanctificat unio hypostatica. *Neque obstat,* quod B. Virgo etiam ut mater Dei manet propria persona distincta a Filio suo et ceteris personis divinis. Etenim non tantum unio hypostatica cum divina persona sanctificat formaliter, verum etiam unio accidentalis, quemadmodum etiam analoga ratione mulier ignobilis per accidentalem matrimonii cum viro nobili unionem nobilitatur. Atque in illa accidentali cum divinitate unione et sanctificatione, divinitas etiam relate ad creaturam se habet ad instar formae, non quidem internae et proprie dictae, sed improprie dictae et externae vel assistentis, ut jam supra dictum est; quod etiam Pesch concedit loco supra citato. De hac Dei cum creatura unione, per quam haec sanctificatur et quadam ratione deificatur, inter alios *Cardinalis Franzelin* SS. Patrum manifestam doctrinam resumens ita

apposite disserit: „Deus non quidem est nec esse potest alicui bonum formale eo sensu, quod tamquam forma proprie dicta sese communicet et uniat creaturae. Omnis enim informatio proprie dicta essentialem implicat formae imperfectionem; sicut enim perficit, ita et ipsa perficitur, ac rationem partis habet et aliquo modo pendet a toto. Nihilominus Deus ipse ita supernaturali et mirabili modo creaturae intellectuali sese communicat et cum ea sese conjungit, ut illam hac communicatione suiipsius per modum causae formalis, seclusis imperfectionibus, elevet ad statum et dignitatem sublimissimam, quam SS. Patres θείωσιν solent appellare.“ Deinde tamquam exempla vel quasi species ejusmodi communicationis vel deificationis adducit primo unionem hypostaticam tamquam omnium supremam, deinde secundo visionem beatificam, tertio denique unionem per gratiam sanctificantem communem in omnibus justis; de qua animadvertit: „Tertia denique quodammodo formalis communicatio Dei summi boni consideranda venit in omnibus justis, licet enim formaliter non sit justi ipsa justitia Dei (Concil. Trid. sess. 6. c. 7.), sed justitia, caritate, sanctitate ipsis inhaerente, quae in eorum cordibus diffunditur per Spiritum Sanctum; est tamen hoc ipsum donum inhaerens sanctificantis gratiae velut vinculum spirituale, quo animae justae singulari modo uniuntur cum Deo sanctificatore, ac proinde Deus, nominatimque loquendo secundum appropriationem, Spiritus Sanctus, *eis datur, in eis habitat, in eis manet* (Joan. 14, 23.; Rom. 5, 3.; Joan. 4, 16.).“ (cf. id. de Trinitate sect. 4.). Jamvero maternitas, ut jam saepius dictum et etiam fusius demonstratum est, gratia sanctificante multo arctius conjungit cum Deo sanctificatore atque ideo non tantum est titulus, ob quem B. Virgo sanctificari debuit neque tantum radicalis ejusdem sanctificatio, verum formalis et proprie dicta B. Virginis exstat sanctificatio non eadem quidem, sed analoga ratione, qua unio hypostatica sanctificat humanam Christi naturam. Quod ipsum cum neget tamen Pesch, contradictionem incurrit cum iis, quae ipse alibi docet de Spiritu Sancto tamquam forma sanctificationis externa vel analoga vel assistente.

Secundo si maternitas divina, ut includit exigentiam **39.** gratiae, quodammodo infinite excedit gratiam communem, immo majus bonum est ipsa visione beatifica alii homini concessa, quia scilicet virtualiter includit altiorem gradum visionis beatificae: tunc manifesto consequitur, maternitatem divinam aeque vel potius multo magis sanctificare gratia communi necnon ipsa visione beatifica, utpote quas dignitate et excellentia multum excedit necnon virtute vel potius eminenter continet. Quare antecedens illud concedere, vel potius affirmare, negare autem simul hoc consequens, ut Pesch facit, pariter contradictorium esse videtur.

Tertio denique propositio: „dignitas matris, si separata **40.** cogitatur a gratia filiationis adoptivae hac sine dubio minor gratia est, quia habere rectam habitudinem ad Deum finem ultimum plus est quam physice concurrere ad temporalem nativitatem Dei“ manifesto distinguenda est: scilicet si maternitas consideretur inadaequate vel mere physiologice sine intima etiam animae, quam affert cum Deo, unione *c.*, sed *n.* suppositum; si consideratur quidem adaequate vel cum illa unione, quamvis sine gratia communi adoptionis *n.* vel *sbd.:* si consideretur sine exigentia hujus gratiae *n.* suppositum: si consideretur sine ipsa hac gratia *n.* Similiter rationem additam *d.:* Habere rectam habitudinem ad Deum finem ultimum plus est quam physice concurrere ad temporalem nativitatem Dei i. e. quam maternitas prorsus inadaequate et mere physiologice considerata *c.* sed *n.* suppositum; plus est quam maternitas adaequate et recte considerata *n.* Nimirum in tota hac quaestione, ut jam supra dictum est, maternitas consideratur et considerari debet non mere physiologice, sed adaequate, ut dicit vel includit intimam cum Deo Filio atque tota Trinitate unionem necnon exigentiam habet gratiae sanctificantis communis. Ita autem considerata etiamsi praescindatur ab actuali praesentia gratiae communis, hanc, i. e. communem gratiam, ut ipse Pesch concedit, infinite quodammodo excedit. Si igitur idem auctor nihilominus dicit, maternitatem consideratam sine gratia sanctificante communi actualiter praesenti esse hac ipsa minorem, sibi sane contra-

dicit, nisi intelligendus sit forte: sine gratia communi actualiter praesenti atque etiam sine exigentia ejusdem; sed etiam in hoc altero casu assertio falsa est, dummodo maternitas consideretur, ut includit intimam cum divinitate unionem; ceterum maternitas divina vix ac ne vix quidem cogitari potest sine illa exigentia saltem gratiae communis. Hinc etiam patet responsio ad rationem additam: nimirum adaequate considerata, ut dicit unionem intimam cum divinitate necnon gratiam communem exigit, implicite vel eminenter etiam includit rectam habitudinem ad Deum finem ultimum; quare neque sub hoc respectu gratia communi inferior est.

Atque his doctrina proposita satis demonstrata necnon ab objectionibus vindicata atque ideo extra dubitationem posita esse videtur.

Scholion.

41. ***1. Num et qua ratione B. Virgo maternitatem divinam meruerit?*** — Cum doctrina praecedenti cohaeret ideoque hoc loco jam apte tractari potest quaestio, num et qua ratione B. Virgo maternitatem suam divinam meruerit. Ut autem haec quaestio rite solvatur, imprimis ratio et conditiones meriti prae oculis habendae sunt, quas, cum in tractatu de Verbo incarnato 2. p. th. 36. coll. th. 33. 34. 35. fusius expositae sint, hoc loco breviter recensere sufficit.

Itaque meritum vel *consideratur in opere,* et tunc est valor operis, propter quem agenti praemium vel merces debetur; vel *consideratur in subjecto merenti* et sic nihil aliud est, nisi opere comparata dignitas ad mercedem; quare meritum justitiae rationem continere intelligitur. — Omne autem meritum est *vel de condigno vel de congruo.* Illud meritum perfectum et proprie dictum est, atque in eo justitia vel aequalitas sive proportio inter opus et mercedem servatur ita, ut operanti reddatur, quod in praemiantis favorem vel emolumentum praestitit. Si vero aequalitate illa non servata praemium opus praestitum excedit, tum justitia perfecta non servatur, sed liberalitas intercedit; quare meritum imperfectum,

improprium, analogicum habetur, quod communiter meritum de congruo appellatur; quia scilicet in hoc casu non condignitas vel exigentia, sed solummodo congruitas quaedam praemii exstat. — Porro *ex conditionibus ad meritum supernaturale et condignum apud Deum acquirendum tres imprimis hoc loco notandae sunt: Primo* opus meritorium necessario liberum est, quia secus homo Deo nihil ex suo praestat. *Secundo* persona merens supernaturali dignitate vel sanctitate instructa esse debet, quia valor operis meritorius non tantum ex praestantia operis meritorii sed maxime secundum dignitatem personae merentis mensuratur. *Tertio* denique ut opera actu meritoria sint, requiritur, ut in hunc finem ab operante dirigantur et a Deo promissione mercedis acceptentur; secus enim meritum potentia tantum, non autem actu adest. Si vel secunda vel tertia ex his conditionibus desit, jam non est meritum de condigno, sed de congruo tantum. Atque haec de ratione et condicionibus meriti breviter dicta hoc loco sufficiunt; quibus positis:

1. Dico primo: *B. Virgo aliquod meritum circa* 42. *maternitatem divinam habuit:* — Quod *primo patet ex doctrina SS. Patrum*, utpote quorum plures hoc expressis verbis docent. Ita v. g. *S. Ambrosius:* „Quid loquar, quanta sit Virginis gratia, quae meruit a Christo eligi, ut esset etiam corporale Dei templum?“ (Ep. 62. ad Theodos. n. 33.). Et *S. Augustinus:* „Beata Maria concipere Deum meruit et parere“ (De natura et gratia c. 30.). Necnon *S. Hieronymus:* „Propone tibi beatam Mariam, quae tantae exstitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur.“ (Ep. 22. ad Eustoch.). Item *S. Petrus* Damiani: „Singularis ejus sanctitas et gratia hoc promeruit, quod susceptione Dei singulariter judicata est digna“ (Serm. 20. de Assumpt.). Denique *S. Bernardus*, qui postquam animadvertit: „Vult autem a se requiri Deus etiam quod pollicetur; et ideo forte multa, quae dare disposuit, prius pollicetur, ut ex promissione devotio excitetur, sicque quod gratis daturus erat devota oratio promereatur . . .“, statim subdit: „Hoc utique prudens Virgo intellexit, quando praevenient· se muneri gratuitae promissionis, junxit meritum

suae orationis: *Fiat*, inquiens, *mihi secundum verbum tuum.* Fiat mihi de Verbo secundum verbum tuum." (Hom. 4. super *Missus est* vers. finem.).

43. *Secundo idem exprimitur in quibusdam orationibus vel canticis liturgicis.* Sic in antiphona pro tempore Paschali dicitur: „Regina coeli laetare, alleluja! Quia quem meruisti portare, alleluja . . .", et in oratione cum antiphona *Salve Regina* nexa enuntiatur, Deum corpus et animam B. Virginis praeparasse, ut „dignum Filii habitaculum effici mereretur."

44. *Tertio item theologi communiter paucis exceptis B. Virgini aliquod meritum circa maternitatem divinam adscribunt,* ut videre est apud Suarium (Disp. 10. ss. 7. et 8.) aliosque. Ex veteribus audiatur v. g. *Eadmerus,* discipulus S. Anselmi: „Pura sanctitas et sanctissima puritas piissimi pectoris ejus, omnem omnis creaturae puritatem sive sanctitatem transcendens, incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret." (De excell. B. M. V. c. 9.). Ex posterioribus adducere placet *G. de Rhodes,* utpote qui etiam ex ratione theologica assertionem confirmat: „A priori ratio est, quia spectabat ad bonitatem et sapientiam Dei, convenienter digneque disponere personam, cui talem dignitatem conferebat; sed hoc est Mariam meruisse aliquo modo maternitatem Dei, ergo Maria illam aliquo modo meruit. Deinde ut dicatur Virgo sancta meruisse aliquo modo maternitatem, sufficit quod illa plus ad eam dispositionis habuerit, quam aliae omnes matres; hoc autem certum est habuisse Virginem, quae, ut loquitur Ildephonsus, prius fidei semine Christum mente, quam carne concepit" (De Virgine Maria q. 2. s. 4. § 1.). Quae rationes probabilitatem aliquam habere videntur, dummodo prae oculis habeatur, agi de persona libera, quae eo melius sane ad dignitatem aliquam est disposita, quo magis libere meritis suis jus quoddam ad eandem sibi acquisivit.

45. **2. Dico secundo:** *B. Virgo nullo modo meruit suam praedestinationem vel electionem in Dei matrem.* — Quae assertio jam supra (Thes. 3. n. 5. 7.), ubi de praedestinatione B. Virginis agitur, satis demonstrata est. Quare hoc loco

sufficit et juvat etiam adducere brevem Suarii hac de re expositionem atque confirmationem aliquam addere ex scriptura. *Itaque Suarez ita disserit:* „B. Virgo non meruit etiam de congruo, ut praedestinaretur seu eligeretur in Dei matrem. Hanc censeo esse certam eamque propterea theologos omnes supponere potius quam disputare. Et probari potest ex omnibus adductis in sectione sexta, quidquid enim meriti fuit in B. Virgine, duxit originem ab hac electione supposuitque illam, quia ipsa prima gratia Virginis, ex qua omne meritum secutum est, ex hac electione processit; ideo enim tanta et tam excellens gratia tamque maturo tempore illi data est, ut esset accommodata dignitati matris, ad quam erat electa.“ (Disp. 10. sect. 8. n. 2.). — *Scriptura autem probabilem assertionis confirmationem praebere videtur* per ipsam B. Virginis humilem confessionem: *Respexit humilitatem ancillae suae* (Luc. 1, 48.), utpote quibus dicere videtur: Non respexit Deus in me aliquod meritum quod haberem tantae gratiae; sed gratuita prorsus voluntate humilem ancillam suam in matrem Dei eligere voluit. Qua ratione saltem verba illa explicat *Vulg. Bernardus* notans: „Maria non praetendit meritum, sed gratiam quaerit.“ (Serm. de nativit. B. V.) Item verba Angeli: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies* etc. (Luc. 1, 30) idem confirmare videntur, cum gratiosae Dei electioni, non meritis Virginis adscribatur, quod Filium Dei conceptura et generatura sit.

Excipitur ex verbis S. Ambrosii supra adductis: „Quid loquar, quanta sit Virginis gratia, quae meruit a Christo eligi, ut esset etiam corporale Dei templum?“ (Ep. 62. ad Theodosium) aliisque similibus aliorum Patrum, utpote quibus expresse assertioni positae contradici videtur. — R. cum Suario l. c.: Ambrosium „vel uti late verbo eligendi ad significandum potius ipsum usum vel executionem, quam ipsam internam electionem per modum intentionis; vel certe . . . ibi non agere proprie de merito, ut est in actione operantis, sed late, ut dicere potest rei dignitatem vel perfectionem; laudat enim ipsius virginitatis excellentiam, quam inde colligit, quia Deus amavit eam in matre sua. Itaque non elegit Mariam in 46.

matrem, quia virgo futura, sed potius elegit eam, ut esset virgo, quia puritas virginitatis Dei matrem imprimis decebat." (Ibid.).

47. ***3. Dico tertio:*** *B. Virgo neque meruit de condigno ipsam maternitatem divinam.* — Quae assertio apud theologos communior est ita, ut pauci solum, inter quos Vega (l. c. n. 1694. ss.), oppositam doceant. Verum assertio posita argumentis manifestis demonstratur:

Primo, ut B. Virgo de condigno mereret maternitatem divinam, necesse erat, ut actus ejusdem meritorii per solam gratiam habitualem dignificati aequalitatem sive proportionem haberent cum dignitate matris Dei; atqui actus per solam gratiam habitualem dignificati nullam aequalitatem sive proportionem habent cum dignitate matris Dei; ergo B. Virgo maternitatem Dei de condigno non meruit neque mereri potuit. — Minor argumenti manifesta est ex superiori tractatione, nominatim ex thesi 2. et 3.: nimirum maternitas divina ad ordinem hypostaticum spectat atque intimam cum divinitate unionem infert adeoque dignitate gratiam communem, utpote quae in inferiore ordine est, longe excedit. Quae autem inferioris ordinis sunt, quantumvis multiplicentur vel gradualiter intendantur, numquam ea attingere vel adaequare possunt, quae sunt superioris ordinis; secus aliquis per opera naturalia primam gratiam vel per opera gratia habituali intensissima dignificata unionem hypostaticam mereri posset; quae omnium consensu absurda sunt. Ergo.

48. *Secundo* opera B. Virginis ut sola gratia habituali communi dignificata neque ex natura sua neque ex voluntate vel promissione divina neque ex voluntate B. Virginis ordinata sunt ad merendam maternitatem divinam. Atqui ejusmodi ordinatio ad tale meritum necessaria erat; quod patet ex ratione interna meriti supra explicata. Ergo B. Virgo maternitatem divinam ex condigno non meruit. — *Major argumenti,* de qua sola quaestio esse potest, facile patet. Etenim *primo* gratia communis et opera, quae eadem dignificantur, ex natura sua generatim solum ordinantur ad consummationem gratiae atque beatitudinis communicationem, utpote quae est

eorum praemium condignum et proportionatum. Apposite *S. Thomas:* „Opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem, quae est virtutis praemium et consistit in plena Dei fruitione.“ (S. th. 3. p. q. 2. a. 11.). Ergo etiam opera B. Virginis eandem ordinationem habebant. *Secundo* autem opera B. Virginis neque ex Dei voluntate positiva sive promissione divina neque ex voluntate B. Virginis ordinata erant ad merendam maternitatem divinam; de ejusmodi enim promissione divina sive ordinatione Virginis neque in scriptura neque in traditione ullum documentum exstat. Revera quidem praedictiones exstant maternitatis divinae in s. scriptura, sed promissionis sub conditione onerosa nullum apparet vestigium. Quod autem a consensu B. Virginis dependeret, ut mater Dei fieret, id profecto ostendit, B. Virginem libere factam esse matrem Dei, non autem eandem illo consensu hoc idem meruisse demonstrat.

Tertium adhuc argumentum aliqui theologi inde derivant, **49.** quod B. Virgo merendo maternitatem divinam meruisset etiam ipsam incarnationem, quia maternitas divina incarnationem supponit vel includit; videlicet hunc in modum argumentantur: Si B. Virgo meruit maternitatem divinam, meruit praecise, ut Deum conciperet ac pareret; ergo meruit ut Deus homo fieret ideoque ipsam incarnationem. Atqui ex omnium theologorum consensu nulla creatura de condigno mereri potest incarnationem. Ergo B. Virgo neque mereri potuit maternitatem divinam. — Verumtamen etsi maternitas divina inferat vel includat incarnationem, formaliter saltem aliud est incarnatio sive assumptio humanae naturae in unitatem personae divinae, et aliud maternitas divina sive communicatio humanae naturae facta personae divinae ex parte matris; nam incarnatio absolute fieri potest sine matre, atque si ex matre fit, mater quidem personae incarnandae exhibet naturam humanam, non autem ipsam unionem hypostaticam efficit. Quare etiam alia dignitas est maternitas divina et alia assumptio humanae naturae in unitatem personae divinae; atque haec dignitas illa sine dubio major est. Ergo ex hac parte maternitas divina etiam objectum meriti esse potest,

quin idem necessario etiam de incarnatione dicatur. Itaque *d.* maj. argumenti facti: Si B. Virgo meruit maternitatem divinam, necessario meruit, ut Deus homo fieret, i. e. meruit, ut Deus incarnandus homo fieret ex ipsa vel ut ipsa Deo incarnando carnem exhiberet prae aliis *c.;* ut Deus absolute incarnaretur *n.* Apposite *Suarez:* „Respondetur ergo dupliciter posse intelligi hoc meritum (sc. maternitatis), *primo* absolute et simpliciter sine ulla suppositione, et hoc modo necessario tale meritum includit meritum incarnationis, quia si B. Virgo suis meritis posset ex justitia obligare Deum, ut ex illa fieret homo, et hoc absolute et nulla facta suppositione, necessario deberet illum obligare, ut fieret homo, quia hoc in illo continetur; unde si non supponitur ante meritum, necesse est ut per ipsum meritum efficiatur; et ideo existimo non esse possibile purae creaturae, ut recte probat argumentum supra factum. *Secundo* potest intelligi hoc meritum solum quasi sub conditione, seu facta suppositione quod Deus sit futurus homo, et hoc modo praescindi potest meritum maternitatis a merito incarnationis, quia praesupponit illam futuram, et aliunde potest meritum habere aequalitatem cum illa dignitate praecise sumpta et non cum incarnatione . . . Et potest exemplo declarari: nam si princeps venturus ad civitatem sit, et civis aliquis impetret ac mereatur, ut potius in suam quam alterius domum divertat, recte intelligitur non mereri adventum simpliciter, et nihilominus mereri circumstantiam, quae illum necessario supponit." (Ibid. s. 7. n. 11.).

50. *Excipi potest contra assertionem statutam,* B. Virginem saltem jam actu matrem Dei atque actibus non solum gratia communi habituali sed etiam ipsa maternitate dignificatis potuisse mereri maternitatem Dei merito, quod dici potest et ab aliquibus dicitur, compensativo; ejusmodi autem meritum aequale fuit praemio, ut patet, ideoque condignum; ergo B. Virgo saltem aliquo modo maternitatem mereri potuit de condigno. — R. n. suppositum, scil. ejusmodi meritum exstare vel esse meritum proprie dictum, de quo agimus. Revera in ea re non esse meritum vel saltem non meritum proprie dictum *primo* inde patere videtur, quod secus etiam

prima gratia sive habitualis sive actualis posset objectum meriti esse necnon Christus in quantum homo potuisset mereri hypostaticam humanae suae naturae assumptionem; quae quidem omnia pugnare videntur cum verbis Apostoli: *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* (Rom. 11., 6.). — *Praeterea* theologi communiter ejusmodi meritum compensativum negant vel saltem non ut meritum proprie dictum agnoscunt. Ita ipse *S. Thomas:* „Non . . . posset dici, quod gratiam quis meretur per opera, quae quis post acceptam gratiam facit, . . . quia est contra rationem meriti. Nam meritum est causa praemii, non quidem per modum finalis causae, sic enim magis praemium est causa meriti, sed magis per reductionem ad causam efficientem, in quantum meritum facit dignum praemio, et per hoc ad praemium disponit. Id autem, quod est causa per modum efficientis, nullo modo potest esse posterius tempore eo, cujus est causa, unde non potest esse, quod aliquis mereatur, quod jam habet. Quod autem in humanis aliquis pro accepto beneficio Domino suo servit, magis habet rationem gratiarum actionis quam meriti" (De verit. q. 39. a. 6.).

4. Dico quarto: *B. Virgo ipsam maternitatem divi-* 51.
nam adaequate spectatam propria ratione neque de congruo meruisse videtur. — Ejusmodi meritum de congruo theologi quidem communius B. Virgini tribuere solent, quamvis plures quidem ipsum quoque negaverint; sed discrepantia magis apparens est vel ex alia et alia maternitatis divinae conceptione provenire videtur. Verum graves pro statuta assertione rationes exstant; quibus sane etiam praecedens assertio iterum confirmatur. Et *primo* quidem actio meritoria quaevis ex interna sua ratione vel tempore vel natura saltem prior praemio est; ratio manifesta est, quia praemium tamquam effectus ad meritum refertur. Atqui in praesenti quaestione maternitas divina recte considerata tum tempore tum natura prior est omni B. Virginis actione meritoria. Ergo B. Virgo maternitatem divinam recte conceptam neque de congruo meruit. Minor quoque argumenti manifesta esse videtur. — Nam maternitas divina, si rite et adaequate concipiatur, mera

conceptione et generatione Dei Filii physiologice spectatis non absolvitur, sed ex interna sua ratione summam dignitatem dicit atque intimam imprimis quidem cum Filio Dei sed consequenter etiam cum ceteris personis divinis copulationem; atqui haec dignitas et unio B. Virgini non demum cum ipsa conceptione et generatione accessit, verum potius eandem affecit atque exornavit inde a primo instanti suae existentiae atque hujus quidem ita ratio unica fuit, ut sine ea B. Virgo in existentiam producta non esset; quod vel sola immaculata conceptione satis demonstratur atque supra jam luculentius ostensum est. (Thesis 3. n. 5. ss.); sed adscribere juvat hoc loco duo insignia Petri Chrysologi testimonia, quae egregie ad rem faciunt: „Pervolat ad sponsum festinus interpres (Gabriel), ut a Dei sponsa humanae desponsationis arceat et suspendat affectum, nec auferat a Joseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in utero oppignorata, cum fieret.“ (Serm. 140.). „Maria virginitate sponsa, foecunditate mater; mater viri nescia, partus conscia. Aut quomodo non ante conceptum mater, quae post partum virgo mater? Aut genitrix quando non, quae saeculorum generavit auctorem.“ (Semo 146.). Itaque maternitas divina vera quadam ratione characterem personalem B. Virginis constituit. Quare reipsa omni actione meritoria ejusdem vel tempore vel natura saltem prior est.

52. *Praeterea* ex alia adhuc ratione maternitas divina natura saltem prior est omni B. Virginis actione meritoria. Etenim omnis actio meritoria gratiam saltem actualem supponit atque ex ea tamquam ex principio procedit ideoque eadem natura saltem posterior est; atqui maternitas divina, ut supra probatum est (Thes. 2. n. 50. ss.) omnium aliarum gratiarum in B. Virgine prima radix atque fundamentum ideoque iisdem natura prior est; ergo maternitas divina etiam omni actione meritoria natura prior est. Quare maternitas divina nullius meriti neque de congruo praemium esse potest.

53. *Excipi tamen potest,* hanc assertionem pugnare cum prima, utpote in qua aliquod meritum B. Virgini circa maternitatem divinam ex Patribus liturgia atque theologis assertum

est. Ergo eandem B. Virgo cum de condigno non meruerit, saltem de congruo meruisse dicenda est. — R. Testimonia Patrum et liturgiae non multum urgent, cum plura saltem testimonia de vero et proprio merito non necessario intelligantur; etenim terminus mereri saepius tantummodo occasionem boni collati significat, ut patet ex verbis liturgiae: Felix culpa, quae talem et tantum *meruit* habere redemptorem.

Praeterea, ut statim in sequenti assertione explicabitur, **54.**
B. Virgo aliquod circa maternitatem divinam potuit habere meritum, quin eandem adaequate consideratam sive de condigno sive de congruo propria ratione meruerit.

5. Dico quinto: *Beata Virgo meruit ex gratia sibi data* **55.**
illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei. — Ita S. Thomas (S. th. 3. p. q. 2. a. 11. ad 3.) atque haec videtur esse optima meriti B. Virginis circa maternitatem divinam definitio et circumscriptio; quae non adeo demonstratione quam explicatione aliqua indiget. In quem finem aliqua notanda sunt.

Primo tamquam objectum meriti B. Virginis in hac as- **56.**
sertione assignatur non ipsa maternitas, imprimis non maternitas adaequata, sed potius dispositio ad consummationem maternitatis in ipsa conceptione atque generatione Filii Dei factam. Haec autem dispositio non soli B. Virgini vel ejusdem meritis, sed imprimis Deo ejusque liberalissimae gratiae adscribenda est.

Sane *secundo* ad divinam sapientiam et bonitatem spec- **57.**
tasse evidenter intelligitur, ut congrue et convenienter disponeretur atque exornaretur virgo, ex qua Spiritu Sancto obumbrante concipiendus et nasciturus erat ipse aeterni Patris Filius. Quare Deus B. Virginem ab initio existentiae ejusdem abundantissime gratia et sanctitate et virtutibus cumulavit necnon singularibus prorsus eximiisque privilegiis exornavit, ut sunt immaculata conceptio, carentia fomitis, perfecta innocentia sive immunitas a quovis peccato etiam veniali, perpetua virginitas atque alia.

Verum *tertio* B. Virgo in decursu vitae suae ad conser- **58.**
vationem et quodammodo actuationem horum donorum et

gratiarum in prima sanctificatione acceptorum, ut innocentiae et virginitatis, suis actibus fidelissime cooperata est; necnon sanctissima vita sua atque operatione maximum augmentum gratiae et virtutum promeruit et quidem promeruit de condigno. Nam ejusmodi meritum, quod omni justo convenit, a fortiori sanctissimae Dei genitrici adscribendum est, utpote in qua nulla ad ejusmodi meritum acquirendum conditio desiderabatur, sed omnes perfectissimo modo exstabant, praesertim quia ejusdem actus non solum gratia sanctificante, sed etiam maternitatis gratia, ut supra explicata est, modo maxime eximio dignificabantur. Atque hoc merito suo B. Virgo efficaciter cooperata est ad dispositionem congruam conceptioni et generationi Filii Dei ex ipsa nascituri.

59. *Quarto* hanc dispositionem quodammodo complevit per consensum, quem exhibuit Angelo mysterium incarnationis in ipsa operandum annuntianti; verum per hunc consensum dispositionem illam non meruit, sed effecit vel absolvit libera sua voluntate, quae ad hoc opus magnificum et grande perficiendum divina gratia singulariter excitata et adjuta erat. — Atque his assertio statuta satis explicata esse videtur; quam assertionem etiam Suarez etsi quoad alias dissentiens statuit atque ita breviter et apposite comprehendit: „Non potuit B. Virgo suis tantum viribus mereri totum gratiarum cumulum, qui ad dignitatem Dei matris requirebatur; erat enim inferioris naturae, et de se obnoxia originali culpae; debuit ergo gratis multis gratiis praeveniri, quibus acceptis per sua opera et merita etiam de condigno potuit cooperari ad complendam hanc condignam (? congruam) dispositionem et hoc ipsum ad perfectionem illius dispositionis spectabat." (Disp. 10. s. 7. n. 5.).

60. Verumtamen *quinto* adhuc momentum aliquod addi posse videtur. Videlicet forte dici potest cum Scheeben (n. 1593.), B. Virginem, ut a primo instanti existentiae suae erat insignita intima cum Dei Filio unione et desponsatione, etiam de condigno potuisse mereri et reipsa meruisse consummationem ejusdem unionis et desponsationis in ipsa conceptione et generatione positam; haec enim et illa in eodem ordine

unionis hypostaticae inveniuntur ideoque quoad ipsa aequalitas vel proportio inter meritum et praemium non desideratur; neque prioritas meriti prae praemio in eo casu deesset. Sed num promissio ex parte Dei et ex parte B. Virginis ordinatio ad hoc adfuerit, merito dubitatur et ideo res in ancipiti posita est. Idem autem valere intelligitur de ejusdem unionis et desponsationis perduratione, quatenus ut objectum meriti considerari possit.

Atque his, quae de merito B. Virginis relate ad maternitatem divinam dici possunt, dicta esse videntur; ceterum conferri possunt, quae alibi (Tract. de Verbo Incarnato, Thes. 30. n. 46. ss.) hac de re jam exposita sunt.

2. Notatio brevis de testimoniis scripturae N. T. B. Virginem spectantibus, nominatim de verbis Christi Luc. 2, 49. et Joann. 2, 4. 5. 61. — *Opponi solet* ab haereticis necnon a quibusdam catholicis quadam ratione illis consentientibus, ideae vel imagini, quam de B. Virgine communiter exhibet theologia catholica parum consonare scripturam N. T., utpote in qua tum paucis solum sermo est de ipsa tum praesertim dicta quaedam ipsius Christi referuntur, quae minus in honorem ejusdem Virginis cedere videantur; quo spectant verba Christi relata Luc. 2, 49.; Joan. 2, 5.: Matth. 12, 48.: Luc. 11, 28.: Joan. 19, 27. — *Verumtamen reipsa perfectam consonantiam esse* inter scripturam N. T. et catholicam de B. Virgine doctrinam theologicam, atque hanc in illa solide fundari, re accuratius inspecta facile patet. Etsi enim scriptura N. T. ex ratione obvia paucis tantum de B. Virgine agat, ipsis tamen de eadem *ideam exhibet tam magnificam atque gloriosam,* qua magnificentior atque gloriosior neque exhibetur a theologia catholica neque concipi posse videtur. Profecto enim per annuntiationem incarnationis ab Angelo factam B. Virgini non tantum insignis et exsors prorsus honor exhibetur, sed simul per angelicam salutationem supereminens celsitudo atque eximiae plane et singulares praerogativae insigni ratione et graphice delineantur; neque obscure relucet eadem summa B. Virginis dignitas et excellentia ex praeconio, quo S. Eli-

sabeth eandem se visitantem celebravit necnon ex cantico Magnificat, quo ipsa B. Virgo Deo pro immensa gratia sibi impertita gratias egit. De quibus, nominatim de salutatione angelica jam supra (th. 2. n. 10. ss.) dictum est atque inferius adhuc dicendi exstabit occasio. Item inferius dicetur de splendida atque superba imagine mulieris amictae sole, quam exhibet S. Joannes in Apocalypsi; haec enim imago, etsi directe repraesentet ecclesiam, indirecte tamen spectat B. Virginem, utpote quae ecclesiae typus vel exemplar est et a qua radii vel lineae illius imaginis desumptae atque ad ecclesiam translatae esse perspiciuntur.

62. *Neque quae opponi solent dicta Christi B. Virginem spectantia seriam difficultatem faciunt;* quod quidem de verbis Christi, quae referuntur Matth. 12, 48.; Luc. 11, 28. et Joan. 19. 27. jam constat ex iis, quae superius (Thes. 1. n. 12. et Thes. 2. n. 61.) hac de re notata sunt. Ceterum de verbis Christi in cruce ad B. Virginem prolatis inferius dicendum erit pluribus, ex quibus constabit, Christum gravissimo illo momento B. Virginem non tantum praeclara ratione honorasse ut matrem suam, verum etiam altera dignitate super eminente, scilicet spirituali erga homines maternitate insignitam proclamasse. Quare hoc loco solum restat, ut paucis dicatur de verbis necnon ratione agendi Christi Luc. 2, 49. et Joan. 2, 1. ss. relatis.

63 *1. De relatione Luc. 2. 41. ss.* — In qua relatione, sive universim ratio agendi Christi Filii sive in specie verba ejusdem considerantur, nihil invenitur, quod cum eximia matris dignitate vel intima ejusdem cum Filio unione pugnet.

Et primo quidem ratio agendi Christi, qua scilicet se parentibus Mariae et Joseph subtraxit ipsisque insciis in Jerusalem remansit, eo tota spectat, ut innueret naturam suam divinam atque missionem a Patre coelesti acceptam, in qua huic soli esset subjectus. Qua ratione filialem erga matrem pietatem sane non negavit neque summam matris dignitatem vel intimam suam cum ipsa unionem infitiatus est, sed solum his omnibus beneplacitum divinum praetulit atque ita, ut multi interpretes notant, discipulos suo etiam exemplo

edocuit, servitio vel beneplacito divino omnia alia etiam affectus maxime legitimos atque tenerrimos postponendos esse. Quae ratio agendi, cum omnibus Christianis conveniens sit atque sequenda, maxime sectanda est atque continuo fere necessaria iis, qui Christo arctius inhaerere volunt vel ex munere divinitus collato pro Christo legatione apud homines funguntur atque pro iisdem in iis, quae sunt ad Deum, constituti sunt, ut Apostolus loquitur. (Hebr. 5, 1. ss.)

Secundo autem perfecte cum his consonant verba Christi, 64.
utpote quae pariter nihil derogant dignitati matris: etenim ut optime notat *Toletus* in h. l.: „Non sunt haec verba reprehensionis, sed instructionis, consolationis et defensionis cujusdam; instructionis, docet enim quod factum est consilio ac mysterio divino gestum esse; consolationis, quia causam dolendi et sollicite inquirendi non fuisse dicit; defensionis, quia causam illis dolendi et anxie quaerendi se dedisse tacite negat, quasi diceret: non ego vobis causam hujus cruciatus et inquisitionis dedi; non enim feci quidquam propter quod revera me dolentes quaerere debuissetis; vos pro amore vestro et quia ignorabatis rei mysterium causam vobis ministrastis.“ Neque igitur Christus ullo pacto iisdem illis verbis legitimam in aliis matris in se auctoritatem denegavit; quod etiam patet ex verbis Evangelistae statim subjectis: ***Et erat subditus illis.***

Verum tertio, quod pariter considerandum est, etiam 65.
ratio agendi, quam B. Virgo ea occasione servavit, cum dignitate ejusdem summa prorsus consonat. Etenim tum verbis, quibus puerum Jesum amissum atque nunc inventum allocuta est, non solum intimum amoris affectum prodidit, sed etiam maternam dignitatem atque quodammodo auctoritatem manifestavit ejusque se consciam ostendit; tum etiam egregiae sanctitatis i. e. humilitatis, discretionis necnon conformitatis cum divina voluntate specimen praeclarum exhibuit eo, quod responso a Jesu dato, quamvis non perfecte intelligeretur, penitus acquiescebat atque non ultra interrogabat.

2. *De narratione Joan. 2, 1—12.* — Neque haec re- 66.
latio matris Dei dignitati ejusque apud Filium auctoritati

quidquam derogare invenitur, si quae gesta referuntur, recto atque aequo animo considerentur; imo vero cum iisdem illis praerogativis apte convenit easque manifestat.

Quod clare patet, si ex una parte consideretur ratio agendi B. Virginis: Et *primo* quidem humanissime egit cum nupturientibus, quatenus ipsa agente nuptiae eorum praesentia Christi cohonestatae, sanctificatae, insignitae esse videntur, quod innuit *S. Thomas:* „Prius invitatur mater, quia ambigebant de Jesu, an invitatus venturus esset ad nuptias propter summam religiositatem quam videbant in eo, et quia non viderunt eum se immiscuisse conviviis; et ideo puto, quod primo consuluerunt matrem, an Jesus esset vocandus. Et ideo signanter dixit Evangelista primo matrem adesse jam in nuptiis, et Jesum postmodum fuisse vocatum, et hoc est, quod sequitur: *vocatus est et Jesus.*" (In h. l.). — *Secundo* piissima mater indigentiae nupturientium in ipso convivio nemine rogante illico succurrens ostendit animum valde misericordem, benignississimum, ad succurrendum promptissimum simulque in modo succurrendi valde delicatum. Apposite *S. Bernardus:* „Compassa est enim eorum verecundiae, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas? Quid, inquam, mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne, qui pomum manu sua tenuerit dimidia die, reliqua die parte pomi servabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit? Nam et ante mentem replevit, quam ventrem; et cum processit ex utero, ab animo non recessit." (Serm. in dom. 1. p. p. oct. ep. n. 2.). — Denique *tertio* etiam magnam sua ratione agendi exhibuit fidem atque confidentiam necnon suae in intercedendo apud Filium potentiae conscientiam. Etenim satis habuit Filio tantummodo nuntiare nupturientium necessitatem: *vinum non habent*, et responso apparenter saltem duriusculo accepto animo constans servis dixit: *Quaecumque praeceperit vobis, servate et facite.* Quae cum ita sint, manifestum est, rationem agendi B. Virginis cum ejusdem dignitate et praerogativis apprime consonare easque egregie manifestare.

Idem satis patet, si ex altera parte ratio agendi ipsius 67
Christi consideretur. Difficultatem quidem non levem creat responsum Christi Matri intercedenti datum: *Quid mihi et tibi mulier? Nondum venit hora mea;* utpote quod durum et austerum videri possit necnon ideo a Protestantibus aliisque contra B. Virginis cultum vertitur et urgetur, a Catholicis autem non una sed diversa valde ratione explicatur. Sed quaecumque vera est et accurata horum verborum interpretatio, hoc unum saltem satis certo constare videtur: Haec verba nequaquam dicunt absolutam repulsam interventionis a B. Virgine factae, imo vero ipsum miraculum mox a Christo patratum intercessioni B. Virginis tamquam effectus adscribendum esse videtur. Etenim *primo* eadem Virgo prudens et sapiens prae omnibus sane optime illa verba intellexisse credenda est: ipsa autem continuo servis ea dixit et commendavit, quae repulsam ejusmodi excludunt, concessionem autem vel impetrationem continere videntur. *Secundo* idem inde satis constare videtur, quod alia ratio miraculi patrati in tota evangelii relatione ne innuitur quidem, imo verba Christi: *nondum venit hora mea,* satis declarant, eundem seposita interventione matris tunc temporis vel ea occasione miraculum patraturum nondum fuisse; terminus enim *hora mea* arbitrarie tantum et perperam quoque diceretur designare momentum ipsum, quo miraculum patratum est, praesertim quia B. Virgo momentum ejusmodi, quo praecise auxilium ferretur et miraculum patraretur, nullum determinatum sua petitione assignaverat; neque igitur responsum Christi momentum posterius in ipsis nuptiis spectat; ergo intercessione Matris permotus Christus horam suam sive tempus, quo primum miraculum patraret, reipsa anticipavit ita, ut secus illa occasione miraculum nondum patrasset. — *Tertio* accedit quod plerique exegetae catholici imprimis, etiam SS. Patres plures miraculum patratum B. Virginis intercessioni adscribunt; ita v. g. *S. Ambrosius:* „Vult rogari; immo si rogatus fuerit, ante tempus venit; . . . ante horam venit, ut dicit ad matrem. Illa rogabat pro nobis, illa festinabat dicens: *Vinum non habent,* Fili. Respondit Jesus: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit*

hora mea. (Joan. 2, 4. 5.). Et mater, quae sciebat ejus affectum, dicit ministris: *Quodcunque dixerit vobis facite* (ibid. 5.). Jesus quoque qui horam suam venisse negaverat, fecit quod ante differebat; nam omnia Deus suo tempore fecit." (In Ps. 118 serm. 16, 38.). Similiter *Chrysostomus* intercessionem B. Virginis, etsi intempestivam fuisse opinetur, efficacem tamen fuisse judicat: „Quod etiam in nuptiis fecit (Joan. 2, 3. 4.). Nam et illic increpavit intempestive petentem neque tamen postulatum negavit; tum ut imbecillitati mederetur, tum ut suam erga matrem benevolentiam exhiberet." (Homil. in Matth. 44, 2.). Necnon *Cyrillus A.* eodem sensu rem accipit, ut patet ex his ejus verbis: „Gratiora vero sunt, quae optantur, si non cito petentibus ea tradantur, sed aliquantula mora in pulcherrimam spem offerantur. Praeterea maximum esse illum honorem qui parentibus debetur, Christus ostendit, dum reverentia matris id faciendum suscipit, quod facere nolebat." (In Joan. l. II. c. 2. 4—6.). — Imo vel etiam Protestantes plures in hac relatione evangelica potentiam intercessionis B. Virginis expressam vident et concedunt. (cf. A. Schäfer, Die Gottesmutter in der hl. Schrift, p. 218.).

68. Porro his omnibus de ratione agendi B. Virginis atque ipsius Christi notatis atque rite consideratis *tertio loco etiam verba Christi apparenter duriora et austera satis intelligi et explicari posse videntur.* Nimirum probabilissime vel vix non certo hic eorum sensus fuerit: „Domina mater, quaenam est tanta et tam arcta inter nos relatio vel propinquitas, ut rem tam grandem et singularem a me roges hac occasione, qua secus secundum intentionem meam miraculum nondum patraturus eram?" Et *primo* quidem vocabulum *mulier* vel potius quod ei respondet in lingua sive graeca sive aramaica nullo modo quidquam ignobilitatis continet vel exprimit neque ullo pacto sensus amoris filialis et venerationis excludit; verum potius spectato usu scripturae (cf. Gen. 2, 23; 3, 15.; Ruth 3, 11.; Prov. 31, 10.; Jud. 8, 29.; Jer. 31, 22.; Luc. 1, 28. 42.; Joan. 19, 26.; Apoc. 12, 1.) dignitatem et reverentiam adsignificat atque analogum est vocabulo germanico *Frau* et gallico *Madame* quibus etiam feminae regiae

vel principes designari solent. Quod autem Christus potius vocabulo *mulieris* usus sit, quam matris, inde explicatur, quod melius consonat cum ceteris ejusdem verbis, ut statim patebit. — *Secundo* igitur dictio: *Quid mihi et tibi* in lingua tum hebraica tum graeca tum latina valde frequens significatione magis generali et indeterminata significat: quid mihi tecum, nequaquam autem per se sensum durum vel offensivum habet; atque ita etiam in scriptura adhibetur (cf. Jos. 22, 24.; Judic. 11, 12.; 2. Reg. 16, 10.; 19, 22.; 3. Reg. 17, 18.; Matth. 8, 29.; 27, 19.; Luc. 8, 28.); verum contextu et adjunctis vel etiam sonu vocis, vultu et gestu ad sensum determinatum varium inflecti potest et inflectitur; quare mirum non est, quod magna in interpretandis his verbis apud commentatores exstet diversitas. Sed sedulo attentis contextu et adjunctis videtur prodire sensus supra notatus. Nimirum Christus his verbis insinuare videtur pro nostra potius quam B. Virginis instructione, in legatione sua divina sive in opere messianico exsequendo adeoque etiam in miraculis patrandis relationem cognationis naturalis mere ut talem spectatam nihil valere posse, sed imprimis atque unice spectandam esse voluntatem divinam hominumque salutem. Quare sub hoc respectu verba Christi negationem vel declinationem vel repulsam dicunt, i. e. ab opere redemptionis et salutis respectum quemvis mere naturalem et carnalem excludunt et repellunt. Verum relatio B. Virginis ad Filium suum vere et adaequate concepta maternitate mere naturali vel carnali non absolvitur, sed etiam munus ministrae atque cooperatricis in opere redemptionis et salutis necnon ideo advocatae hominum comprehendit; quare quod sub primo respectu declinari et negari posset vel deberet, sub altero concedi posse intelligitur. Cum quibus consonat appellatio *mulieris*, utpote qua B. V. tamquam illa mulier praenuntiata indicari videtur, per quam damna primae mulieris restauranda erant (cf. Suarez, d. 1. s. 1. n. 5). Atque ita consentanea apparet atque harmonia plena ratio agendi Christi, qua ex una parte petitionem matris repellere vel declinare videtur, ex altera autem parte miraculum petitum reipsa patrat. — *Tertio* his omnibus po-

sitis etiam verba: *Nondum venit hora mea* jam satis commode explicantur et intelliguntur; nimirum, ut jam supra dictum est, nihil aliud dicunt, nisi intercessione B. Virginis non facta Christum nondum ea occasione sed postea demum, forte in templo Hierosolymitano, miraculum patraturum fuisse. — Quod autem *Knabenbauer* (in h. l.) putat, eandem sententiam tamquam interrogationem legendam esse, tum spectatis regulis criticis nimis improbabile est, tum cum contextu minus consonat, praesertim quia ita patratio miraculi efficaci intercessioni B. Virginis supra statutae subtrahi videtur.

69. *Opponitur quidem* contra explicationem propositam immutabilis decretorum divinorum vel etiam consiliorum Christi stabilitas, utpote quae infringi nequeat quocumque influxu humano, neque igitur intercessione B. Virginis; quod ipsum etiam significetur verbis Christi: *nondum venit hora mea.* — Respondetur autem facile, Christum non ita fuisse subjectum horae significatae, ut nullam jam mutationem facere posset; quod optime illustratur exemplo mulieris Chananaeae: Etsi enim Christus prius, quod haec petiverat, recusare videretur respondens: *Non sum missus nisi ad oves quae perierant domus Israel*, et: *non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus* (Matth. 15, 24—28.); nihilominus paulo post mulierem insistentem exaudivit ejusque filiam sanavit. Itaque generatim dicendum est, decreta divina circa actiones Christi liberas necnon ipsa consilia voluntatis Christi respectum ad actiones liberas hominum non excludere, sed potius earum rationem habere; quare absoluta non sunt plerumque saltem, nisi consequenter ad certas hominum actiones liberas; quod profecto certum et clarum est ex iis, quae theologi communiter tum de distinctione inter voluntatem divinam antecedentem et consequentem tum de Christi libertate docent. (cf. Z. f. k. Th. 1893. p. 552. ss.). Quae cum ita sint, objectio proposita fundamento et momento omni caret.

70. *Praeterea opponitur,* non intelligi, quomodo B. Virgo servis dicere potuerit: *Quodcunque dixerit vobis, facite,* si quidem verba Christi, ut supra dictum est, tamquam declinatio petitionis sive repulsa accipienda sint. — Respondetur,

id satis commode intelligi, dummodo verba illa tamquam declinatio vel repulsa non absoluta et definitiva, sed relativa vel conditionata accipiantur. Ceterum quid obstat, quominus B. Virgo a Christo sive nutu sive gestu sive verbo sive etiam inspiratione interna edocta sit, miraculum quod petiverat patratum iri. Neque enim omnia et singula adjuncta Evangelista referre debuit, sed aliqua lectori invenienda vel conjicienda relinquere potuit. Certo igitur neque haec difficultas ardua est.

Itaque omnibus perpensis relatio evangelica minime derogat B. Virginis honori, verum potius ejus dignitatem atque imprimis potentem mediationem egregie manifest atque illustrat. Qua ratione eadem relatio apte consonat cum aliis eventibus in vita Christi, utpote in quibus Mater cum Filio ita intime tamquam cooperatrix vel mediatrix vel administra conjuncta apparet, ut typicam vel exemplarem significationem habere videantur. Ita incarnatio e consensu B. Virginis pendebat eaque cooperante facta est; ad vocem ejusdem salutantem Elisabeth, praecursor Christi Joannes B. in utero matris sanctificatus est; tum pastoribus tum magis per signa divina advocatis Virgo-Mater divinum infantem salvatorem omnium praesentavit; cum in templo infantem divinum praesentaret, a sene Simeone filii sui Redemptoris doloribus et passionibus intime socianda esse praedicta est; simili igitur et consentanea ratione initio vitae publicae Jesu sociata apparet tamquam mediatrix ejusque intercessione primum miraculum patratur, quo fides in discipulorum animis excitatur et nutritur necnon indigentibus nupturientibus subvenitur. Qua ratione ut potens administra et mediatrix tum in temporalibus tum in spiritualibus apparet. 71.

3. De nomine Mariae brevis notatio. — Quod ethymologicam hujus nominis significationem attinet, non una exstat apud auctores etiam orientalium linguarum peritos explicatio; sed inde ab antiquitate in diversas partes abierunt neque nostra aetate in una certa significatione admittenda conveniunt. Cum igitur quidquam certum hac de re definiri posse non videatur, fusior ejusdem inquisitio ad dogmaticam 72.

tractationem neque necessaria neque proficua esse videtur; quare hoc loco satis est remittere ad theologos, qui recentiore aetate hac de re enucleatius egerunt, scilicet: *Bardenhewer,* der Name Maria, Geschichte der Deutung desselben; *Janssens,* de Deo-homine, p. II. p. 209., qui alter priori auctori satis arcte inhaeret ejusque expositionem fere compendiose resumit. Conferre autem juvat etiam Zeitschrift für katholische Theologie, 1906, p. 356 ss., ubi *Zorell* explicationi a prioribus auctoribus praelatae aliam opponit atque propugnat, quae aeque probabilis atque simul pulchrior et nobilior esse videatur.

Nota: Atque his prima quaestio, quae de ipsa maternitate sive de B. Virginis ad Deum relationibus agit, satis explicata et absoluta est; sequetur opportuno tempore quaestio altera, quae de B. Virgine in se spectata sive de singulis ejusdem praerogativis tractat.

Index thesium

Mariologia.

Prooemium:

Quaestio prima.

De maternitate divina B. V.

Articulus primus.

De veritate vel existentia maternitatis divinae

Articulus secundus.

De summa B. Virginis-Matris dignitate.

Articulus tertius.

De Matris Dei ad singulas personas divinas relatione.

Articulus quartus.

De maternitate divina B. Virginem formaliter sanctificante.

A. M. D. G.

DATE DUE			